PRO LEGE DIUINA PROHIBENTE CLERICIS MERCATURAM APOLOGIA A...

Francisco Domenech






PRO LEGE DIVINA PROHIBENTE CLERICIS MERCATVRAM APOLOGIA

A FRANCISCO DOMENECH GRANVLLETIO EX Defensione variarum conclusionum viri cuiusdam Docti, & Pij excerpta, & in lucem edita.





FLORENTIÆ

Apud Zanobium Pignonium.

M. D. C. XVI.

LECTORI PIO
FRANCISCVS DOMENECH.

V*IR quidam Pius, & doctus ea autoritate, cui non obbedire, fas non erat, respondere iussus, quid ex conscientia sentiret de nonnullis quæstionibus ad Clericorum negociationem attinentibus, Obtemperauit. Cum verò inter cætera quæsitum fuisset,* quo iure mercatura citra necessitatem Clericis prohibeatur, humanone tantum, an etiam Diuino? *Respondit* vtroque, humano scilicet simul & diuino, *rationesque adiecit, quæ hanc sententiam, vt veriorem, probabiliorem, & tutiorem ei persuadebant. Non multo post duorum Doctissimorum Virorum A. & B. scripta ad eum missa, quibus illius responsio à capite ad calcem tota refutabatur, omnesq; eius conclusiones omni telorum genere oppugnabantur. Sed ea speciatim, quæ ad Ius Diuinum Prohibitionem Mercimonij Clericorum redigebat. Contendebant scilicet Domini A. & B.* mercaturã solius lucri gratia Clericis humano tantum Iure prohiberi, eoq; ita infirmo, & imbecillo, vt per contrariam consuetudinem in locis particularibus (etiam inscio Summo Pontifice) tolli penitus, & abrogari possit. *Quo demum apertè profiterentur, vti professi, sunt, quod* nonmodo, nulla necessitate cogente, immo etiamsi Cræso ditiores sint, Clerici sęculares (etiam Sacerdotes) palàm, liberè, & impunè, & licitè mercaturam exercere valeant, vbicumq; ~~diuturnâ, & immemorabili consuetudine~~ ita receptum sit. *Paucis post diebus (sola Virtute pietatis, & veritatis stimulis concitante) ab eodem Doctore Responsionis suæ integra defensio conscripta, omnesq. conclusiones eius neruosissimis rationibus, & grauissimis auctoritatibus, & testimonijs confirmatæ, atq; ab obiectionibus aduersariorum bene admodum, & feliciter vindicatæ. Eam verò partem, quę Ius prohibitionis attingit, adeò solidè, copiosè, & luculenter prosecutus est, vt in quæstione ex professo nunquam ante agitata, nihil præterea dici posse videatur. Ibi coactus de natura iustitiæ, iuris, & legum disceptare, hoc ita pręstat, vt abstrusiores, & difficiliores quæstiones de iustitia, & iure summa cum legentium vtilitate solidè penitus, & faciliter extricet, atq; declaret. Hoc membrum illius Defensionis, quod grauiori cuidam negocio, in cuius gratiam quæstio hæc agitatur, mihi pernecessarium est, ab alijs recisum typis dare decreui, tum vt facilius, & promptius, communicari possit,*

tum vt opusculum hoc indignum certè, quod in tenebris delitescat, doctorum virorum manibus teratur, videatq; Orbis, quàm iustæ & quam piæ causæ patrocinium à me susceptum sit. Si quid offenderis, lector, quod ornatius, excultiusq; dici posset, neruosius etiam, & melius, equi, boniq; consules, memor, quod non elucubratum est hoc, vt ederetur, sed festinè scriptum, vt intra domesticos Indicum parietes expenderetur, ne sententia Auctoris, honesta defensione destituta, Aduersariorum argumentis perculsa caderet. Ait verò Plato; nullam rem posse festinatam esse simul & examinatam; nec esse quicquam omnium, quod habeat gratiam diligentiæ suæ simul, & gratiam celeritatis *& Clemens Alex. monet* eum, qui curam gerit veritatis, non oportere artificiosè, curaq; adhibita verba componere, sed conari tantum, quod vult, exprimere, quomodo potest. Eos enim, qui hærent dictionibus, & in eis sunt occupati, res ipsæ effugiunt. *Vale.*

HVIVS OPERIS.
CAPITA.

Admodum Reuerendus D. Franciscus Norius Canonicus Florentinus videat an in hoc tractatu aliquid reperiatur contra pietatem Christianam, aut bonos mores, ac referat. 12. Decembris. 1615.

Petrus Nicolinus Vicarius Generalis Florentin.

In hoc Volumine, nihil à Christiana Religione, aut moribus alienum contineri, Quinimo totum pietate, necnon insigni doctrina eruditione què refertum opus, mihi visum fuit; atque adeo valde dignũ quod typis mandetur. Et in fidem subscripsi. Quarto Idus Decembris. M. D C X V.

Franciscus Norius Canonicus Florentinus.

Attèta relatione præmissa licentiam impertimur typis excudi valeat Florentiæ suprascriptum opus, ordinibus consuetis seruatis. 12. Decembris. 1615.

Petrus Nicolinus Vicarius Generalis Florentin.

Prescriptum opus pro S. Officio videat Admodum R. P. Magister Benedictus Theologus Serenissimi M. Ducis.

Frater Lelius Inquisitor Florentin.

Quæ in hac Apologia subtilitèr relata sunt, Catholicæ veritati, ac bonis moribus consona, & nihil eorum contrarium optimisque, ex sanctorum doctrina, documentis micantia mihi videntur; quibus libenti animo adhereo, & in fidem subscripsi.

Frater Benedictus qui supra.

Imprimatur


Frater Lelius Inquisitor Florentin.

Stampisi secondo gl'ordini questo di 17. di Dicembre. 1615.

Niccolò dell'Antella.

INDEX RERVM QVAE IN HAC APOLOGIA CONTINENTVR.

Primus numerus cap. secundus numerum, vltimus paginam p. principium, m. medium, f. finem significant.



4 Deo

3 Prin-

Vide

FINIS.

PRO LEGE DIVINA PROHIBENTE CLERICIS MERCATVRAM.

APOLOGIA.

Qua ratione probetur Negociatio prohibita Clericis Iure Diuino ex 2. ad Timoth. 2. Idem locus illustratur auctoritate Pontt. Conciliorum Patrum omniaq; ei obiecta diluuntur.

CAP. I.



IVRIS Diuini partes duæ quum sint, aliud scilicet naturale, aliud positiuum, vtrumque in controuersiam venit. Ego vtròque aduersarij neutro, necessitate seclusa, prohibitam negociationē Clericis, arbitramur. Vtraque ergo pars separatim discutienda. Et quoniam positiuum fortius vrget, quippe quod ab expressa Dei auctoritate vires habeat, & à positiuo etiam prima disputatio cæpta est, ab eo etiam nunc initium capiam.

Attuli ego duo testimonia legis nouæ, alterum ex auctoritate Sancti Gelasij Papæ c. *consequens* 88. dist. quando Christus eiecit de templo ementes, & vendentes Matth. 21. alterum, quod habetur 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negociis sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit*, idquè ex auctoritate multorum Canonum, & DD. quos citaui. Et quoniam posterius hoc maiorem speciem præcepti habere, affirmat D. B. nec diffitetur Dominus A., verè enim istud concludit directé, prius verò non, nisi per argumentum à minori, vt dixi in voto, idcirco ab isto Apostoli ad Timoth. disputationis caput resumere libuit. Apostolus igitur ad Timoth. ait.

Labora vt bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo, implicat se negociis sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Nam & qui certat in agone non coronatur, nisi legitimè certauerit Hæc Apostolus.

Adhortatur Timotheum Apostolus ad benè seruiendū Chri-

sto in munere suo, dum inquit (*Labora, vt bonus miles Christi Iesu*) Cæterum sciscitari Timotheus poterat, quidnam indiceret sibi Apostolus hac similitudine, & hisce verbis, multa enim bonis militibus licent, quæ neq. Episcopis, neque Clericis licere possunt. Idcirco occurrit tacitę huic interrogationi Apostolus dicens (*Nemo militans Deo implicat se negociis sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Nam & qui certat in agone non coronatur, nisi legitimè certauerit*) Pleriq; omnes Græcorum quos aduersarij sibi fauere putant, non habent verbum (*Deo*) sed absolutè legunt (*Nemo militans implicat se negocijs sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit*) Nimirum, vt omnino eruditè probat Dominus A. Negociatores olim militiæ cingulo prohibebantur *l. vnic. C. de negot. milit.* & militibus negociatio interdicitur *l. 3. & l. 15. C. de re milit. l. milites*, & l. vlt. C. locat. & *l. si ignorās quis, et l. dicta C. negociat ne milit.* nouell. Iustin. 116. Vegetius de re milit. lib. 2. c. 19. & S. Ambr. lib. 1. offic. c. 36. Hinc Theod. & Valēt. de offic. & mun. prefect. *Indigna, & pudenda armato nomini negociatio.* Quocirca Sydonius lib. 1. epist. 8. hæc tanquam absurda cōmemorat. (*muri cadunt, aquę stant, Turres fluunt, naues sedent, ægri deambulant, medici iacent, algent balnea, domicilia Conflagrant, sitiunt riui, sepulti vigilant, fures dormiunt, potestates fænerantur, Clerici Syri psallūnt, negociatores militant, milites negociantur &c.*) Perinde igitur est, ac si ita argumentaretur Apostolus. Milites qui violant leges militiæ, displicent Imperatoribus suis. Qui verò implicant se negocijs sæculi, transgrediuntur leges militiæ. Idcirco milites, qui implicant se negociis sęcularibus, displicēt Imperatoribus suis. Cæterum nullus bonus miles facere debet, quod displicet Imperatori suo. Displicet verò, quod implicet se negociis sæcularibus, propterea què negotiatores exauctorantur, & priuantur cingulo militari. Proinde nulli bono militi negociis sæcularibus fas est implicare se se. Tibi, cæterisquè Clericorum laborandum vt bonis militibus Christi. Idcirco à negociis sęcularibus tanquam militibus Dei vobis omnibus abstinendum. Abstinentia igitur negociationis tota fundatur in displicentia Dei, & hæc in transgressione legis eius, tanquam Imperatoris Castrorum Clericalium, quam si tollas, similitudo frigida remanet, insulsa penitus, eneruis & nihil omnino concludens.

2 Confirmat hanc prohibitionem ex lege Christi similitudo, quæ sequitur (*Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi*

legitimè

legitimè certauerit) *Certare legitimè*, Significat, vt omnes interpretantur, *certare iuxta legem*. Et ponderandum eſt, quod hæc ſimilitudo non affertur tanquam res ſeparata, & aliena à priori concluſione, ſed tanquam cum illa coniuncta, & quaſi altera ratio eius; hoc enim indicant particulæ illę (*nam, &*) quarum altera probat, altera coniungit. Perinde igitur eſt, ac ſi dicat Apoſtolus. Ne putes fili, Clerico negociatori infligi tantum pœnam militis negociatoris, exauctorationem. ſ. hanc temporalem, quæ reſpondet priuationi cinguli militaris, ſed præterea, ſicut pugiles, qui non pugnant iuxta legem Agonis, priuantur, corona hac corruptibili, & terrena, propter quam in Agonem deſcendunt; ita & Clericus, qui in hoc Spirituali Agone iuxta legem Chriſti non decertat, incorruptibili, & ęterna illa corona glorię priuatur, cuius amore allectus inter Eccleſiaſticos pugiles nomen dederat. Et certe planum hic eſt, quod pugnare iuxta legem Agonis, eſt medius terminus concluſionis Apoſtoli. Ergo aut Clericus implicans ſe negocijs ſæcularibus violat legem Dei, & propterea priuatur corona gloriæ; aut ſimilitudo Apoſtoli nihil concludit. Quare duplici pœna abſterret Timotheum Apoſtolus à negociatione. Prima eſt priuatio gradus Clericalis, tanquam priuatio cinguli militaris. Secunda priuatio gloriæ ęternę, quę eſt tanquam priuatio coronæ pugilatus. Idcirco, ſicuti milites negociatores lege Romana exauctorabantur, & pellebantur de gradu, ſic etiam in primitiua Eccleſia è gradu Clericali negociatores deponebantur, vt liquet ex can. 6. Apoſtolorum. Mos qui quamdiutiſſimè in Eccleſią viguit, vt permulti ex antiquis canonibus fidem faciũt.

5 Ex hoc Apoſtoli loco in voto meo ſic argumentatus ſum. Eſt primum principium Chriſtianis, quod ea, quibus in Sacra Scriptura indicitur odium Dei, & priuatio vltimi finis, ſunt peccata læthalia, & prohibentur à Deo preceptis negatiuis. Quare quum Timotheo dicat Appoſtolus, quod Clerici implicantes ſe negocijs ſæculi diſplicent Deo, iuxta legem eius non decertant, ac demum non coronabuntur corona gloriæ. Sequitur docere Apoſtolum, negociationem Clericis prohiberi proprie ex lege Chriſti, eſſe peccatum mortale, & ex conſequenti inter dictam eis præcepto diuino negatiuo proprijſsime accepto. Et ponderandum eſt, quod ſubdit Apoſtolus. *Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus in his omnibus intellectum*. quæ admonitio, ſeu deprecatio neceſſaria non fuiſſet, ſi res, quam hiſce ſimili-

tudinibus velauit, non esset magni ponderis, & momenti.

Permulta respondentur ad hunc locum, quorum alia pertinent ad vinculum praecepti immediatè, alia immediate ad materiam eius, eaque mediante ad vinculum. De vtrisq; seiunctim. Ad vinculum immediate attinet, quod Dominus B. ait 1. (Quod nemo interpretũ dicit hoc loco contineri pręceptum) & consentit Dominus A. qui ait (meam sententiam ei triplici titulo suspectam esse 1. quia noua, & ante hæc tempora inaudita 2. quia nullo stabili fundamento 3. quia cum communi aliorum sententia pugnat. Videntur enim omnes aut affirmare, aut pro certo ponere, negociationem clericis humano tantum Iure prohiberi) 2. responsio Domini B. est quod (etiam si esset præceptum) non esset præceptum Diuinum, sed Apostolicum, & humanum, cuiusmodi sunt præcepta de Ieiunio Quadragesimæ, de obseruatione diei Dominicę, de bigamo non ordinando. Tertia quod quotiescunq; Christus, vel Apostoli præcepit, quod alibi reuocauit, non potest esse pręceptum perpetuum, sed ordinatio temporaria. Sed hoc, quod dicit Apostolus. *Nemo militans Deo, &c.* Reuocatum fuit ad Romanos 16. vbi præcepit, vt christiani, & Ecclesiastici *assistant plebi in quocumq; negocio eguerit.* Ergo non fuit ordinatio perpetua, sed temporalis, sicut illud act. 15. de suffocato, & sanguine) Ac demum (Quid si quis dicat (inquit), his verbis contineri consilium, quale est illud Matth. 5. *ego autem dico vobis, non iurare omnino* & Iac. 5. *Ante omnia nolite iurare omnino*; quomodo ostendent in his verbis esse pręceptum, in illis consilium?) Ac mox fingit sibi, quod putat a me dictum iri illudq; refutat.

5 Cæterum si non à se, sed à me scire voluisset, quomodo monstrare possem, hic esse preceptum propriè, non consilium legisse poterat votum statim ab allegatione loci huius §. *hoc autem* & pag. seq. responsionem ad 2 obiectionem §. 2. *obiectio*, ibiq; demonstrationem reperisset eius quod querit. Ibi quippe à definitione præcepti, sicuti nunc paulò ante ostendi, hinc colligi, obligatoriam legis, & propriam vim præcepti.

Sed quoniam aduersarij consentiunt in hoc, quod nemo huic loco tribuat vim præcepti, & ego puto, & permultos, & permagnos tribuere videamus quis nostrum fallatur, & vtra assertionum nouitatis nomine possit in suspicionem venire. Accedant igitur Pontifices, Concilia, Patres quorum auctoritas in suspicionem certè venire non potest, sed lapis lidius est Catholicæ veritatis.

Sanctus

Sanctus Carolus Borromeus in primo Concilio Mediolanensi habito anno 1565. hoc testimoniũ sic intellexit. Inquit enim *Qui Deo militat, implicare se negocijs secularibus prohibetur.* Vnde inter multa, hac de causa clericis *negociationem etiam omnis generis prohibet.* Verbum *prohibetur* puto satis clarum esse.

Concilium Prouinciale Colonien. habitum anno 1536. par. 2. c. 31. *Nemo militans Deo implicet se negocijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit. Quare multa prouidentia olim vetitum est, ne Clerici, vel Monachi mercatores, taceamus fæneratores sint, lucri causa.* vbi extulit indicatiuum, per imperatiuum, non vt textum corrumperet (quod de Concilio nefas est cogitare) sed imitatus Lateranense, de quo infra, vt indicaret, putare se, vim imperantem, & præcipientem inesse loco isti.

Concilium Moguntinum sub Archiepiscopo Sebastiano anno 1549. c. 74. *Cum secundum Apostolum nemo militans Deo se se negocijs secularibus implicare debeat. Nemini liceat. &c.* Ac tandem inter multa à quibus abstinendum Clericis *negociationibus quoq; mercimonijsq; more mercatorum* (inquit) *abstineat*. Verba illa *nemo implicare se debeat* perspicua sunt.

Eadem penitus verba, quæ Patres Moguntini, ante vsurparat Cardinalis Cãpegius de latere legatus in reformatione Cleri Germaniæ anno 1524. vt videre est cap. 4.

6 Iam ergo ante centum ferme annos noua non erat mea interpretatio, neq; in aliquo angulo docebatur. Sed palam, sed passim, sed in Concilijs, sed in Canonibus ipsis tribuebatur vis præceptiua, & obligatoria huic testimonio. Quid? nonne Lateranense sub Alexandro 3. c. 12. relatũ c. Sed nec ex. ne Clerici, vel monachi ante 430. annos sicut Coloniense indicatiuum per Imperatiuum expresserat? *nemo implicet.* Rogo: num vt textum vitiaret, an vt sciremus, quid sentiret de illorum verborum virtute? Si adhuc vetustiora velimus, allegatum est in voto c. *sunt nonnulli* 16. q. 1. Bonifacij Papæ, quod propter responsiones allatas ab Aduersarijs, hic & repetendum, & explicandum, & confirmandum est. Hæc igitur eius cap. verba sunt.

B. Benedictus eos secularium negociorum dixit expertes fore, quod quidem Apostolicis documentis, & omnium S.S. Patrum institutis, non solum monachis, sed etiam Canonicis omnibus magnopere imperatur secundum illud Timo. 2. Nemo militans Deo &c. Hinc collegi ego, negocia Clericis prohiberi per allegatum Apostoli testimoniũ.

7 Ceterum respondetur, quod (Apostolica documenta appellat bonis)

verba

" verba Pauli. Nemo militans, &c. Patrum verò instituta, Cano-
" nes, & leges Ecclesiasticas. Documentum autem plurimum à
" præcepto differt, significat enim experientiam, exemplum, ad-
" monitionem, consilium, quæ omnia longissimè distant à præce-
" pto, ita significat ille Canon, ecclesiasticum præceptum ab Apos
" tolica doctrina documentum cæpisse.)

Et quidem speciosa sunt hęc, minimè tamen (ni fallor) consentanea intentioni Pontificis. Dicit enim, & vere dicit, quod duplici titulo imperatur Canonicis, & Monachis negociorum sæcularium fuga. *Documentis* nimirum *Apostolicis*, & *Patrum institutis*. At experientia non imperat, non exemplum, non admonitio, non consilium. Quid ergo est, quod imperat? lex & præceptum. Aut ergo documenta hęc apostolica legis, & pręcepti vim habent, aut perperam dicitur, quod *Apostolicis documentis hoc imperatur*. Et ponderandum est, quod dicit *imperari apostolicis documentis*, non imperari iuxta apostolica documenta, quod dicendum erat, nisi putasset, documentis illis inesse vim imperandi, sed hanc inesse tãtum Patrũ institutis. Cur autem dixerit, imperari hoc documẽtis, Apostolicis nõ præceptis, in promptu est. Apostolus, vt ostendi, nõ fert ipse hanc legem de negocijs sęcularibus fugiendis, sed tantũ ostendit, & docet illam esse legem Christi tanquam Ducis militię Clericalis, & sacri certaminis Agonothetis. Id verò melius exprimi nõ poterat, quam sic. (*Documentis Apostolicis imperatur*) quia verè docet Apostolus, imperari Clericis hoc à Christo, nõ autem imperat ipse. Locus planè efficax aduersus eos, qui putant, hoc pręceptum, Apostolicum dici posse, sed humanum, non Diuinum.

Non seruauit hanc proprietatem sermonis Concilium Carthaginense 3. hisce adhuc antiquius, quod citaui in voto, & refertur c. *Credo* 21. q 3. sed vt ambiguitatem documenti tolleret, hoc ipsum ita exspressit (*Apostolorum statuta sunt quæ dicunt* (*nemo militans Deo, &c.*) Vbi verbum (*statuta*) penitus eneruat euasionem Consilij, exempli experientiæ, admonitionis, ad quæ confungiunt. Vocat verò Apostolorum statutum, quemadmodum, & lex vetus lex Moysi dici solet.

8 Iam ergo interpretatio mea, ni fallor, à suspicione nouitatis vindicata satis, opposita verò sententia cum nullo S. Scripturæ testimonio innitatur, nullius Sancti Patris auctoritate, nullis cuiusq; concilij monumentis, nullius summi Pontificis constitutionibus, nullius demum vel ex Theologis, vel ex canonistis

(quod

(quod vel ipsi Aduersarij confitentur, aut assertione, aut interpretamento, an nouitatis nomine in suspicionem venire possit, non dicam ego, sed viderint ipsi.

9 Ex his dispicere possunt quanti momenti sint responsiones allatæ hactenus ad hoc testimonium. Si enim hoc esset Consiliũ Apostolicũ non præceptũ, aut præceptũ, sed ab Apostolo reuocatum, perperam, & iniustè inde collegissent Canones, sub grauioribus pænis Clericis à negocio abstinendum. Non enim ecclesiæ fas est, obligare fideles legibus pœnalibus ad concilia diuina. Consuluit scil. Christus paupertatẽ Christianis, cõsuluit & Apostolus eisdem continentiam, (*si quis*, inquit, *percusserit te in unam maxillam, prabe ei, & alteram, si voluerit tollere tibi tunicam tuam, da ei, & pallium*. Ergo ne grauioribus pœnis omnes ad paupertatem, & continentiam cogendi sunt? & à defensione, & iusta vindicatione iniuriarum deterrendi? Apostoli interdicunt suffocatum, & sanguinem. Ergo ne per degradationes, & anathemata ad huius præcepti obseruantiam compellendi fideles? Si præceptum istud nostrum ab Apostolo ipso reuocatum est, vigente adhuc eo, sicuti præceptum de suffocato, & sanguine, quid Patres tanquam validum istud ad hanc vsq; diem vsurpant, inculcant? Illud tamen mirabile, quod melioris notæ Scriptores tenent, Epistolam secundam ad Timotheum esse posteriorem epistola ad Romanos nihilominus vult in epistola ad Romanos reuocari quod scripserat ad Timoth. Epist. hæc ab Apostolo ex carceribus vrbis Romæ data est, post primam eius defensionem, vt liquet ex cap. vltimo eius, quam ideo omnium nouissimã putant nonnulli. Epistola ad Romanos, antequam Romam veniret, vt ipse testatur cap. 1. & vt placet Origeni, quẽ Baronius sequitur, & ipse Dominus A. scripta corinthi. Propterea iuxta supputationem Baronij, & D. A. quę ad Romanos, data est anno Christi 58. secunda ad Timoth. anno 59. ergo prior illa, ista posterior, contra quam opinatur hic Auctor. Si ergo posterior priorem reuocat, vt placet Aduersario præceptum, quod allegamus ex ista ad Timoth. reuocarit q; ab ipso citatur ex illa ad Roman. nostrumq; tanquam postremum suas integras vires retinebit.

Sed absit, vt reuocationem præcepti, vel leuiter suspicari possimus, quando etiam illa esset posterior. Quid enim ibi scribit Apostolus? (*Commendo autem vobis Phæben sororem nostram, vt eam suscipiatis in Domino dignè sanctis, & assistatis ei in quocumquè negocio vestri indiguerit. Etenim ipsa quoquè astitit multis, &*

mihi

mihi ipsi. Ostendenda ergo essent hic nostro auctori duo primum negocia illius sanctæ mulieris (quam sororis nomine dignatur Apostolus) fuisse negociationes mercatorias (quod nemo opinor crediderit sine testibus) Secundum hanc curam Clericis speciatim imponi. Epistola enim scribitur in genere ad Romanos, & forte tunc de reuocatione quidpiam dicere potuerit. Interim quo ad assistentiam negociorum ex charitate nolim dedignatus esset videre D. Tho. à me citatum in voto Opusc. 19. c. 9. ad 3. & 2. 2. 189. 4. ibi enim reperisset, quid ex hoc loco ad Romanos colligatur. *Venio* iam ad secundum genus responsionum.

10 Respondet igitur 4. idem hic auctor, quod (Apostolus vocat negocia secularia, quæ pertinent ad curam huius sæculi, & vitæ præsentis, de quibus Apostoli Act. 6. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*; propterea elegerunt Diaconos, qui curam haberent rerum temporalium. De his ergo negociis, quæ ab Apostolis in Diaconos reiecta sunt, vult dici: *Nemo militans* &c. Si verò id negociorum genus Diaconis commissum est, certè hinc colligi nequit, prohiberi omnibus Clericis negocia sæcularia; sed tantum prohiberi Episcopis, quę eos impediunt ab oratione, & prædicatione.) & hunc videri, ait, *litteralem, & legitimum illius loci sensum*.

Cęterum nihil planè alienum magis à sensu Apostoli, quàm hic sensus, omnium quippe interpretum consensu, nullo prorsus excepto, desumpta similitudine ab arte militari, & à lege militiæ, ostendit Apostolus Timotheo ei abstinendum à negociatione temporali ex lege Christi. Negociationes autem, quæ militibus Romani Imperij prohibebantur, non erant hæ, quas arbitratur hic Doctor, sed mercimoniales, vt eruditissimé, & omnino solidé probat Dominus A. Quare noua hæc interprætatio; neque litteralis est, neque legittima, sed quę prohibentur hic sunt mercimonia, de quibus disputamus: *Quis* (inquit Chrisostomus citatus à Domino A.) *miles mercaturam exercet? nullus certè* Ponderandum verò est, quod Apostolus generaliter loquitur *Nemo militans Deo*. Aut ergo Diaconi, & cæteri inferiores ordines Deo non militant; aut si militant, & ipsi vniuersali hac propositione comprehenduntur; Propterea quod Diaconi faciunt Apostolorum iussu, non potest esse id, quod displicet Christo, non quod lege eius prohibetur, non demum, quod eos priuat corona glorię. Nisi velimus, Apostolos iubere,

quæ displicent Deo, & quæ prohibentur à Christo. Quare istâc nouam glossam textus nequaquã admittit. Quæ huic succedit responsio eiusdem ordine quinta nihilo firmior est. Inquit
11 enim, quod (D. Augustinus de opere Monachorum c. 15. idcirco dicit præcepisse Apostolum Timotheo, vt non laboret manibus suis, sicuti ipse faciebat, quia Timotheus propter infirmitatem corporis non poterat operari manibus, sicut Apostolus; idcirco precepit illi, vt viueret eleemosynis Christianorum (Vnde colligit) ex sententia itaqué Augustini non loquitur Apostolus de negociatione, sed de opere manuali.)

Huic argumento nemo melius respondere potest, opinor, quã ipse Sanctus Pater Augustinus, cuius verba sunt hæc eodem in loco *Timotheum, quem dicit germanissimum filium, quem sciebat corpore infirmum, sicut ostendit, monens eum, ne aquam biberet propter stomachum, & frequentes eius infirmitates, quia opere corporali laborare non poterat, ne fortè cum indigeret, & nollet vti victu quotidiano, ab eis, quibus Euangelium ministrabat, aliqua sibi negocia quæreret, quibus animi eius implicaretur intentio. Aliud est enim laborare animo libero, sicut opifex potest, si non sit fraudulentus, & auarus, & priuatæ rei auidus. Aliud autem,* (audiant hæc, qui negociari posse Clericos putant, per tertias personas,) *ipsum animum occupare curis, colligendæ sine corporis labore pecuniæ, sicut sunt, vel negociatores, vel procuratores, vel conductores. Cura enim præsunt, non manibus operantur; ideo animum ipsum suum occupant habendi sollicitudine. Timotheum ergo, ne in talia incideret, quia per infirmitatem corporis manibus laborare non poterat, sic exhortatur, monet, & consolatur. Labora, inquit, sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negociis sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Nam, & qui in agone contendit, non coronatur, nisi legitimé certauerit.* Hæc Sanctus Pater ibi quibus apertissimè opinio huius Auctoris iugulatur. Ei igitur veritatis, & iustitiæ nomine habendæ gratiæ, quod ad locum istum prouocarit. Nec est quod quisquam vim faciat contra nos illis Augustini verbis *exhortatur, monet* nam, vt dixi, exhortatur eũ ad laborandum, vt bonum militem decet, monens eum, necessarium esse Clericis ad salutem, ex lege Christi, abstinere à negociis sæcularibus, *neq;* vt inquit S. Pater *cura præesse eis, qui manibus operãtur, sicuti faciũt negociatores, procuratores & cõductores*

12 6. Respondet, quod (multorum sententia in his verbis loquitur Apostolus de cura œconomica, & negocia sæcularia in-

 telligit

„ telligit curam œconomicam. At cura œconomica non est alie-
„ na a Clericis) quod multis probat, & ei gratis damus. Immo addimus, quod Apostolus ipse ad eundē Timotheū de cura œcōnomica hunc in modum loquitur ep. 1. 5. 8 (*Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet fidem negauit, & est infideli deterior.*) Nescio autem quid prætendat Aduersarius similibus argumentationibus, quibus locum Apostoli loco contraponit. Si enim opinatur, dici posse, salua pietate, quod Apostolus de eisdē negocijs i eisdem personis dicere potuerit, quod qui illis implicat se, peccat mortaliter, & rursum qui illis non implicatur, peccat item mortaliter, mihi planè (pace eius dixerim) magnò in errore versari videtur. Addo, quod sicut profusus est, in probando, quod est de fide, & de quo nemo dubitat, cōgerendo nimirum Auctores, qui dicunt, curam œconomicam Clericis licitam esse. Ita desiderassem nomen alicuius ex multis illis, qui locum istum de cura œconomica interpretantur. *Ridiculum est* (inquit Cicero) *quod est dubium, id relinquere incertum, quod nemini dubium potest esse, id commonstrare*. Negamus interim, de cura œconomica Apostolorum loqui, habemusquè pro nostra negatiua Patres, Concilia Pontifices, immo & ipsummet eruditissimum Dominum A. quos in nominatis illis fidenter opponimus.

13 7. Respondet, quod (Sanctus Cyprianus lib. 1. ep. 66. per ne-
„ gocia sæcularia hoc loco intelligit omnes curas rerum tempo-
„ ralium, & dicit, Clericos abstinere debere à cura rerum tempo-
„ ralium, sicut in lege veteri Tribus Leui, vt habemus Iosue 13.
„ aliis terram colentibus, & curis rerum temporalium incumben-
„ tibus, solum rebus diuinis inherebat. At certum est, non esse
„ Clericis curam rerum omnium temporalium vniuersaliter, &
„ absolutè prohibitam iure Diuino. Ergo ex sententia Sancti Cy-
„ priani non potest contineri in his verbis præceptum Diuinum)

Responsio, & argumentum cōmunia cum Domino A. Equidem nulla in re peruicax ingenuè fateor, à testimonio Cypriani præceptum Diuinum colligi nequaquam posse, non propter rationes allatas, quas infra dissoluam, sed quia opinatur contra communem Patrum, hoc dictum esse ab Apostolo, non de Clericis speciatim, sed de omnibus Christianis, & per locum à minori Clericis applicari. Nec miror. Habuit textum sanè corruptum, sic enim legit, vt videre est tùm in hac epist. tùm de exhort. mart. c. 8. & ad Quirinum (*nemo militans Deo, obligat*

ſe moleſtiis ſæcularibus, ut poſſit placere ei, cui ſe probauit, ſed & ſi certauerit quis, non coronabitur, niſi legitimè pugnauerit. At ſi Sanctus Pater adeo execratus eſt defunctum, Geminium Victorem vt neque pro dormitione eius ſacrificium offerri permiſerit, quia non negociatorem, ſed filiorum ſuorum tutorem reliquerat Præsbyterum conſanguineum ſunm, quid ab eo dictum, factumue iri putandum eſt, ſi viueret, audiretquè nunc, non amplius de tutela teſtamentorum agi, ſed de mercatura quam Clerici iure exercere ſe contendunt mordicus, talemq; causam in vrbe ſacrorum canonum Parente tàm illuſtres reperiſſe patronos? ſed redeo ad argumenta.

14 Alij dicunt, inquit, his verbis per negocia ſæcularia intelli- „
gi negocia quæ ſunt huius ſæculi, & quæ non pertinent ad aliā „
vitam, id eſt quæ continent peccatum mortale, & ſunt iniuſta) „
& citat Gotifredum, & Tabienam. (Sed non poteſt eſſe pręcep „
tum nouum Clericis impoſitum, ne immiſceant ſe in nego- „
ciis iniuſtis, quia peccarent duplici peccato quando tractant ne „
gocia iniuſta, quod nemo vnquam ſomniauit. Ergo neque ex „
horum ſententia his verbis contineri poteſt pręceptum.) „

Sed reſpondeat, quæſo, mihi doctiſſimus iſte vir, quot peccatis peccat fidelis, dum contra fas, aut caſtitatis, & pudicitię repagula perfringit, aut vino ingurgitat ſe? Quot peccatis peccat dum vel homicidiis, vel adulteriis, vel furtis, & ſimilibus inquinamentis commaculat vitam ſuam? Certè iure naturæ, lege moyſi, lege Chriſti, præceptis Apoſtolicis, Canonibus Eccleſiaſticis, legibus ciuilibus hæc ſimiliaquè omnibus, & ſpeciatim Clericis prohibentur, vtpote, qui duces aliorum ſint ad virtutes, & vt miniſtri Dei cæteris mundiores, & ſanctiores eſſe debeant. Num ergo Clerici, & Chriſtiani quinquè peccatis peccant, quoties in aliquod ex his criminibus labuntur? An potius dicendum, quia communi conſenſu vnico tantum peccato obnoxij ſunt, quod vnica tantum lege hęc prohibentur? Ecquis obſecro ad hanc vſquè diem ſomniauit, quod in prohibitis quia mala pro multiplicatione prohibitionum (niſi prohibitiones multiplicent ſpecies deformitatis) multiplicentur peccata? Aggrauari iſtinc poſſe certum eſt, at multiplicari, mihi nouum planè, & anteac omnino inauditum. Caiet. & Thomiſtæ Communiter in 1. 2. 73. 6. & D. Thomas expreſſe. q. 2. de pec. a. 6. ſi tamen dixero, in tali negociatione duplicem deformitatem concurrere, nihil abſurdi ſequetur.

15 Ad cętera dico, quod ſeparanda ſunt, certa ab incertis, & conceſſa à controuerſis. Concedit mihi Dominus A. quod Apoſtolus hic vniuerſim ſumit exemplum à militibus; reuera enim negociatores olim militiæ cingulo prohibebantur, *indigna nimirum*, vt ibi probat, *& pudenda armato nomini negociatio*. Ergò ad mentem Apoſtoli per hunc locum indigna, & pudenda Eccleſiaſtico nomini eſt negociatio, & negociator Clericali cingulo prohibendus. Quod ſi negociatio alioqui licita ſtatui militari ex lege Cæſarum, & clericali lege Chriſti illicita eſt, quanto magis huic illicita, quæ omnibus illicita? Benè ergo concluditur ex hoc loco, quod iniquę negociationes, & turpia lucra clericis potiſſimum prohibentur, quando eis prohibeantur etiam quę de ſe neq; mala putantur, neq; iniqua. Qui tollit, & prohibet genus, tollit conſequenter, & prohibet ſpecies; *Cum n. quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo reg. 39.* de reg. iur. in 6. *Et in genere ſpecies contineri*, non modo logicum, philoſophicum, & Theologicum eſt, ſed & legale .l. *ſemper* 147. ff. de reg. Iur. Docet verò Apoſtolus hic. Clericis prohiberi à Deo negociationes in genere, nonne ergo, & ſpecies? Arctari verò non poteſt hic genus negociationis ad ſpecies negociorum iniuſtas tantum, niſi euertamus fundamentum, & ſuppoſitum ab Aduerſarijs conceſſum, quod Apoſtolus ſumit exemplum à militibus, quibus vniuerſim omnes negociationes prohibebantur.

10 Nono, Dicit San. Thomas 2. 2. 4. 2. in his verbis loqui Apo-
" ſtolorum de negociis bellicis, quod confirmat Molina diſput.
" 342. & prohibetur ſi quid prohibetur bellum. At non eſt pro-
" hibitum bellum Clericis iure Diuino, vt ſatis inter omnes conſ-
" tat, & expreſsè docet Sanctus Thom. 2. ſecundæ 188. 3. do-
" cens iure inſtitui potuiſſe Religiones militantes, & Michael Sa
" las 2. ſecundę 64. 4. iure humano docet Clericis prohibitum
" occidere, vel effundere ſanguinem, non autem iure Diuino.)

Miram ſanè rem dicit hic auctor (opinor) dum putat Religiones, quæ ordinantur ad militandum, & de quibus loquitur D. Thom. 2. 2. 188. 3. Sacris initiari, & Clericali caracthere inſigniri, quod tantum abeſt à verò, quantum ab eo, quod fit, vt lyppis, & tonſoribus notum eſt. Neq; D. Thomas allegat teſtimonium hoc Apoſtoli in q. 49. (quæ vitio ſcriptorum notatur 4.) vt inde probet, bella Clericis eſſe prohibita ſpeciatim, ſed vt probet, negocia ſæculi eſſe prohibita Clericis, quia nimis

nimis implicant animum, & auocant à Diuinis, qua ratione etiam bella Clericis prohiberi, ait, *Clericos verò neque ex auctoritate Superioris posse interesse bellis, vt ipsi propria manu pugnent* ore rotundo affirmat in resp. ad 2. vnde quis facile colliget, quid sentiat de iure prohibitionis, & inquit, quod *abusionis est, quod aliqui propria manu pugnent*. Vide modo, si dicere potuerit S. D. quod *ad effundendum sanguinem ex professo Clericorum ordines instituti sint*, vt vult hic auctor, sed hac de re speciatim cap. 10. Addo demum, quod iuxta textum Græcum, cui magis applaudunt Aduersarij, & omnes interpretes græcos, eosquè latinorum, quos retuli, non potest loqui Apostolus de militia. Nam loquitur de negociis, quæ iure ciuili sunt prohibita militibus sæculi, aut ergo militia iure ciuili prohibetur militibus sæculi, quod est ridiculum, aut nomine negocij sęcularis, militiam nō intellexit Apostolus.

17 Decimo, tandem per negocium sęculare, inquit, hoc loco „ alij intelligunt negociationem politicam, & sæcularem Reip. „ vel ciuitatis Tabiena Arag. Molin. & Nicolaus Papa dist. 10. c. „ *quoniam* At nemo vnqnam docuit præcepto diuino prohibitam „ esse Clericis administrationem Politicam) „

Hoc argumentum & similia prosequutus est etiam doctiss. Dominus A. Respondens ad cap. 1. & 4. ne cler. vel Monach. (Inter negocia sęcularia, inquit, plurima recensentur, quæ ne „ mo dicet, Iure Diuino prohiberi. Inter cętera autem, nefas es- „ se, ait, Clericis, aleas amare, canes, & aues sequi ad venandum, „ & omnibus quibuslibet superfluis causis interesse. Et conclu- „ dit; *Ecce talia, & his similia ministris altaris Domini, nec non & Mo-* „ *nachis omnino contradicimus, de quibus ait Apostolus: Nemo mili-* „ *tans Deo,* Deniquè cap. 8. eod. tit. prohibentur Clericis procu- „ rationes Villarum, aut iurisdictionem sæcularem sub aliquo „ Principe exercere. Et ad hoc probandum afferuntur eadem „ verba Pauli, cum tamen certum sit, hæc iure Diuino non pro- „ hiberi, cum in illis frequentissimè Pontifices dispensare soleāt. „ Nunc autem Archiepiscopus, & quidem ex ordine regulari in „ Lusitania Proregem agit) Atquè hinc colligit, quæ à nobis affe- „ runtur, nullam habere vim ad probandum negociationem Iure Diuino Clericis prohiberi.

Hoc ipso argumento vsus erat ante idem met Dominus (Tantū vero abest, inquit, vt hæc, nempe causę criminales, rerum „ ciuilium administratio, militia, forensia negocia iure Diuino „

Cle-

» Clericis prohibeantur, vt olim Episcopi, quasi ex proprio mu
» nere ciuiles controuersias dirimerent; ac propterea Sanctus Au
» gustinus conqueritur, se his forensibus contentionibus magno-
» perè detineri) Hæc ille.

Respondeo; aliud est, quod lex intendit directè, aliud id, ad quod per argumenta lex extenditur, nequè vtrumquè horũ in pari vigoris, & certitudinis gradu collocatur. Gloss. in cap. *in fidei* ver. *inquisitionis* de heret. in 6. Anton. in c. vlt. de cõsuetud. nu. 57. Domin. in c. 1. *de temporib. ord.* in 6. n. 9. Adrian. in 4. *mater* de excomm. q 3. except. 8. Cordub. lib. 1. q. 11. opin. 2. ad 3. Et quanquam permulti tribuunt eandem vim legi circa ea, ad quæ extenditur per argumenta, limitant tamen vires eius ad identitatem, & paritatem rationis. Constant. Roger. in tract. de iur. interpret. §. 1. à num. 21. Molin. lib. 1. de primogen. c. 5. nu. 7. & seq. Couarru. in cap. Alma. 2. p. §. 4. nu. 7. vers. secundo. Angelus ver. lex num. 6. & 8. cum Imol. & Gemin. Syluestr. q. 18. cum Panormit. in c. *in insulis* de regul. num. 3. Quid verò sibi vult hoc Pauli testimonium directè ad mentem eius? nil aliud, nisi mercaturam Clericis prohiberi lege Christi, sicut prohibebatur militibus lege Cæsarum.

De mercatura verò propriè loqui Apostolum confessum, & cõcessum est iam ipsi Domino A. probari id omnibus Patribus, & interpretibus Græcis, immo & ipsi S. P. Augustino, addat apertè Ambrosium in Commentariis, Hieron. Epist. ad Nepot. Gelasium, quem infra defendam, Canones, & Concilia, quæ supra citaui, addat D. Thomam ter, quaterquè id inculcantem, addat Alensem, & omnes demum, qui probant, negocia sæcularia Clericis non licere, qui ad hunc locum, vel mediatè, vel immediate confugiunt, iam omnium consensu de mercatura, & negociatione propriè dicta, directè intelligendũ est hoc testimonium. Hùc accedit, quòd neque milites, neq; Iudices, neq; Principes, veniunt propriè nomine Negociatorum sicuti neq; ludus, neq. venatus, neq. pupillorum tutela, & similia veniunt propriè nomine negociationis, sed qui emit vilius, vt vẽdat carius, negociator, & talis emptio, & venditio negocium, & negociatio sæcularis propriè nuncupatur. Proprietatem autem verborum in interpretandis legibus primum spectandam esse, habetur; l. *non aliter* ff. de leg. 3. l. 1. §. *si is qui nauem ff. de exercit. act. l. prospexit* ff. *qui & à quibus manumiss.* & verba scripturę in proprio sensu accipienda esse, Communiter docent

Patres

Patres, maximè in dogmatibus fidei, & præceptis morum. Et præter proprietatem, vsum quoq; verborum attendendum esse, tradunt. I. C. cum Bart. in l. *non dubium* C. de leg. in l. *labeo* ff. *de supellect.* leg. & in l. 1. ff. *de suis, & legit hared.* Panorm. in procem. Decret. vbi Felyn. multa congessit. Quare si ad proprietatem sermonis, si ad vsum verborum, si ad mentem Apostoli, si ad consensum Interpretum respiciamus, diffiteri non possumus, quin negóciatio lucratiua directè hic prohibeatur.

18 Lirinensis commonitorio primo interpretandæ scripturę in dubiis hanc regulam tradit *eorum Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide, & communione catholica sanctè, sapienter, constanter viuentes, docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, vt quicquid vel omnes, vel plures uno, eodemquè sensu manifestè, frequenter, perseueranter, uelut quodam consentiente magistrorũ concilio, accipiendo, tenendo, firmauerint, id pro indubitato, certo, ratoquè habeatur. Quicquid uerò quamuis ille sanctus, & doctus Episcopus, quamuis confessor, & martyr præter omnes, aut etiã contra omnes senserit, id inter proprias, & occultas, ac priuatas opiniunculas à communis, & publicæ generalis sententiæ auctoritate secretum sit.* Hac ratione Dominus Card. Bellarmin. cum communi refellit opinionem S. Ambrosij, & Nicolai primi de Baptismo in nomine Christi, vt videre est de Rom. Pontif. lib. 4. c. 12. Cum ergo communior Patrum sententia sit, loqui Apostolum hic de negociatione lucratiua, & mercimoniali, id citra controuersiam pro indubitato, certo, ratoq; habendum est. Quod autem nonnulli ad alias res hunc eundem locum extendunt, & detorquent, hi quidem ad has, illi verò ad illas, id eos, & per argumentum facere, neq; tanti ponderis esse, sine scrupulo affirmari potest, maximè quod res, ad quas extendunt, diuersissimę rationis sunt à mercatura. Quare non sequitur, quod si negociatio prohibeatur hic Iure Diuino directè, vt verè prohibetur, eodem etiam iure prohibita censeantur omnia, ad quæ per argumenta non necessaria locus hic extenditur, & detorquetur. Difficultati, quæ obiicitur ex dispensatione Pontificis infra faciam satis c. 6.

19 Placuit Domino A. demum ad hunc locum ita respondere „
(sed esto retineamus cum vulgato interprete vocẽ illam *Deo* „
quin etiam cum Augustino serm. 19. de ver. Domini admitta- „
mus hanc sententiam ad Clericos retorqueri, qui Deo verè mi- „
litant,

" litant, quid illis verbis prohibeatur hunc in modum explicat
" Augustinus) subiicitq; verba Augustini, quæ quoniam mutila referuntur, lubet totam, & integram eius sententiam hic annectere, vbi tamen de duobus lectorem præmonuero.

Primum, quod non tanti refert; est, quod sermo iste habetur etiam inter sermones S. Ambrosij, estq; ei 66. ita ut à duobus præclariss. luminibus Ecclesiæ Dei auctoritatem habeat, quicquid eius attinet ad rem nostram. Secundum quod magni interest, illud est, quod non dicit S. Augustinus, Ambrosiusuè quisquis est, quod *hæc sententia*, de qua disputamus, *potest retorqueri etiam ad Clericos*, vt inducitur a Domino A. minimè gentium, sic enim significare videretur, de aliis directè pronunciatum id ab Apostolo, per argumentum verò, & Clericis applicari. Sed quod ibi agitur istud est. Explicat illud Lucæ 3. *Interrogauerunt illum*(Ioannē intellige) *& milites quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes. Neminem concutiatis, nec calumniam faciatis, sed contenti estote stipendijs uestris.* Hanc igitur sententiam explanat, moxq; subdit *Hæc antem diuina sententia, quæ ad milites loquitur, potest etiam ad Clericos retorqueri, quia etiam si non militare videamur sęculo, tamen Deo militamus, sicut ait Apostolus; Nemo militans Deo obligat se negociis secularibus.* Quare ex eo quod hæc sententia ad Timotheum propriè, & directe loquitur de Clericis, colligit Pater, quod eisdem Clericis potest applicari etiam prior illa sententia Præcursoris. Non ergo concedat nobis Dominus A. cum Augustino, quod hæc sententia Apostoli ad Timotheū *potest retorqueri etiam ad Clericos*, nam neq; Augustinus id dicit, neq; nos istud admittimus. Sed concedat quod iuxta S. Augustinum non modo sententia Apostoli, sed etiam sententia Præcursoris, negociatio Clericis prohibetur. Et nos ei grato animo hunc locum acceptum referemus. Verba S. P. quibus applicat Clericis sententiam illam Ioannis, hæc sunt. *Catholicus Clericus hac sententia retinetur, si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de altari, Domino iubente, consequitur, sed exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic negociator magis potest videri quam Clericus. Nec dicere possumus: Nemo nos inuasores arguit, violentiæ nullus accusat, quasi non interdum maiorem prædam à viduis blandimenta alliciant, quam tormenta. Nec interest apud Deum, vtrum ui, an circumuentione, quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto retineat alienum.* Hæc Sanctus Pater Dum verò loquitur de Clericis, *qui munera viduarum*

rum libenter amplectuntur, alludit ad illud Clericorum genus, quod Valentiniano seniori, & Valenti Impp. occasio fuit feren di legem *Ecclesi*. xx. de Episco.& Cler. C. Theod. qua cautum est ne Ecclesiastici cuiuscumq; generis viduarum, vel pupillorum domos adirent, nihil ab eis dono, nihil testamento accipere possent, quiq; secus facerent de vrbe exterminarentur. De hac lege permulta Sanctus Ambrosius Epist. 31. & Sanctus Hyeronimus epist. 2. qui tam in hac, quam in 3. & 22. describit summa cum elegantia varias artes huiusce Clericalis aucupij *Quidam* scribit ad Eustochium, *in hoc omne studium vitamquè posuerunt, vt matronarum nomina, domos, moresquè cognoscant*, & mox de horum vno *Cum sole festinus exurgit, salutandi ei ordo disponitur, viarum compendia requiruntur, & pen vsq; ad cubicula dormientium senex importunus ingreditur. Si puluillum viderit, si mantile elegans, si aliquid domesticæ suppellectilis, laudat, miratur, attrectat, & se his indigere conquerens, non tam impetrat, quam extorquet, quæ singulæ metuunt veredarium vrbis offendere* & ad Nepotianum rursum, *Audio preterea in senes, & anus absquè liberis quorundam turpe seruitium. Ipsi apponunt matulam, obsident lectum, purulentiam stomachi, & flegmata pulmonis manu propria suscipiunt, pauent ad introitum medici, trementibusq; labiis, an commodius habeant, sciscitantur. Et si paulum senex vegetior fuerit, periclitantur, simulataq; lætitia mens intrinsecus auara torquetur, timent .n. ne perdant ministerium, & viuacem senem Mathusalem annis comparant. O quanta apud Deum merces, si in præsenti pretium non sperarent.* Hęc Hieronimus. Hinc verosimilius fit, Ambrosij, Cuius ætate vitium hoc incaluerat, quam Augustini esse sermonem illum, & ex Ambrosio refert eum Baronius ad ann. 370. In quo sermone notandũ, quod postrema illa verba. *Nihil interest apud Deum, vtrum vi, an circumuentione, quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto retineat alienum*, Non sunt referenda ad omnia antecedentia, vt vult Dominus A. vnde colligit, velle S. Patrem hisce verbis, auaritiam tantum, turpem quæstum, & nimiam lucri cupiditatem ab Apostolo in Clericis damnari, proinde solam mercaturam iniustam, non autem quamcumq; Sed si relegantur, postremis hisce verbis damnat aperté tantum vilé illud aucupium Clericorum ex assentatione, & deceptione viduarũ, seniorumq; & vetularum, eisq; præcidit excusationem illam, quod neq. violentiæ, neq; inuasionis accusari possunt. Quando autem loquitur de mercatura, absolutè dicit, quod *si Cleri-*

cus non contentus ſtipendiis altaris exercet mercimonium (non addit iniuſtum) *interceßiones vendit, munera viduarum libenter amplectitur, hic magis negociator poteſt videri, quàm Clericus.* Pugnat ni mirũ ad mentẽ eius ex ſententia Apoſtoli mercimonium quodcumq; cum clericatu non minus quàm cætera doloſa, iniuſta, & iniqua. Et ſicut miles alienus à mercatura ſtipendiis ſuis cõtentus eſſe debet, ſic & Clericus ſtipendiis, quæ illi imperator Chriſtus ex bonis ſuis, ex altari nempe decreuit. Qua de re videri poteſt Damaſc. etiam 3. paralell. c. 70.

20 Addit Dominus A. (Hac igitur ratione fateor, Pauli verba habere vim pręcepti, *ſed negocia ſæcularia* ampliſsimé recipienda ſunt, vt accipiunt Concilij Moguntini Patres Can. 14. *negocia ſæcularia* inquiunt, *ſunt libido turpe lucrum, munera iniuſta accipere, vel etiam dare, contentiones, & rixas amare, in placitis ſæcularibus diſputare, excepta defenſione Orphanorum, & viduarum, conductores, aut procuratores eſſe ſæcularium, aleas amare, ornamentũ inconueniens propoſito ſuo quęrere, in deliciis viuere, velle gulam, & ebrietatem ſequi, negocium iniuſtum exercere, & ſimilia.* Quæ cum ſint ſuapte natura turpia, & inhoneſta, iure diuino naturali prohibentur. Et quidem potiſſimum Clericis, qui diuino obſequio peculiari, quadam ratione dicati ſunt) Hęc ille.

Permulta dixi ante, quæ euaſionem iſtam præcludunt, duo tantum hic denuo occurrunt. 1. quod Dominus A. dicit omnia, quæ hic prohibentur, eſſe intrinſecé mala, & interdicta omnibus iure Naturæ, cum tamen, neq; aleas amare (vel ipſo aſſertore) neq; diſputare in placitis ſæcularibus, neq; conductorem, aut procuratorem agere, non modo eiuſmet Domini ſententia, ſed vel omnium conſenſu intrinſece mala ſint, neq; omnibus prohibeantur iure Naturæ, fatetur tamen, eſſe ex illis hæc, quæ diuino iure Clericis hic prohibentur. Secundo dico quod omnis negociatio ſæcularis, & lucratiua in Clericis iniuſta cenſetur, & quodcumq; lucrum negociale eis turpe eſt. Vnde Ambroſius in Ep. 1. ad Timoth. c. 3. *Turpia lucra hæc, dicit, eſſe, ſi ſub pia profeſſione quæſtibus ſtudeatur, turpis .n. oſtenditur, cum ſe purum oſtentat;* & Bleſenſis ep. 17. *Periculoſum ſiquidẽ eſt in laico, ſed pernicioſum in Clerico negociationibus augere peculium. Et Clericus, qui leuius comparat, vt uendat carius, filius eſt auaritiæ, idololatra pecuniæ, ſeruus mammonæ, uenundatus ſub peccato.* Quę copioſè declarabuntur, & oſtendentur infra opportuniori loco. Iam inconcuſſum ſtat, & immotum, opinor, hoc teſtimonium

Apo-

Apostoli, neq; quid eorum, quibus hactenus tentatum est, adimere illi præcepti vires, & obligatoriam legis, tanti momenti apparet, vt deserta sententia, quam in voto secutus sum, in oppositā eundum sit, quin permulta ex obiectis meā hanc sententiam confirmarunt, & illustrarunt magis; modo cætera prosequamur.

Defenditur Sanctus Gelasius Papa ab obiectis contra locum ab eo inductum ex Matth. 21. & Ioann. Primo.

CAP. II.

1 SAnctus Gelasius Pontifex Epistola prima decretali ad Episcopos Lucaniæ hoc ad Timoth. duobusq; preterea aliis scripturę testimoniis vsus est aduersus negociationem Clericorū, quorum vtrumq; variis argumentis, & difficultatibus implicant Aduersarij, & agitant, nullumq; lapidem non mouent, vt persuadeant, vtrumq; penitus alienum esse ab ea re, pro qua à Sancto Pontifice citatur.

Cæterum nihil in eis reperi tanti ponderis, vt (seclusa etiā, & circumscripta dignitate Pontificia, & sacra, christianisquè omnibus veneranda legis Canonicę auctoritate, quibus suffulcitur horum testimoniorum virtus, & efficacitas) non idem mihi dicendum, & sentiendum putarem, quod à Sancto summoquè viro isto dictum, scriptumquè est, & quod ego eum secutus dixi, scripsiq; in voto. Apponam primo verba Gelasij, quæ relata sunt à Gratiano c. *consequens* 88. dist. deinde obiectionibus singulatim occurram. Illud vnū non dolere non possum, quod apud omnes gentes leges sanctę habentur, & *vbi latæ sunt non de illis*, vt inquit August. *sed iuxta illas iudicandum est, neq;* priuati doctores de legibus, sed iuxta leges de sententiis priuatorum DD. iudicatur. Nunc autem omnia præpostera sunt; lex enim & lex duplici nomine sacra, & quod magis est, Pontificia, lata à Pontifice doctiss. & sanctiss. à priuatis Doctoribus in iudiciū vocatur, & legislatori, & tali legislatori post 12. fermè sęcula de ignorantia causa dicenda est. Dicatur tamen, quando aduersarij vrgent. Inquit igitur Gelasius.

Consequens fuit, vt illa quoquè, quę de Piceni partibus ad nos nuper missa relatio nunciauit, non pretereunda putaremus, id est plurimos Clericorum negociationibus inhonestis, & lucris turpibus imminere nullo pudore cernentes; Euangelicam lectionem, qua ipse Dominus negociatores è templo verberatos flagellis, asseritur expulisse.

Nec Apostoli verba recolentes, quibus ait. Nemo militans Deo, implicat se negociis saecularibus, Psalmistam quoquè Dauid surda dissimulantes aure canentem. Quoniam non cognoui negociationem, introibo in potentias Domini. Proinde huiusmodi aut ab indignis posthac quaestibus nouerint abstinendū, & ab omni cuiuslibet negociationis ingenio, uel cupiditate cessandum, aut in quocumq; gradu sint positi, mox à Clericalibus officiis abstinere cogantur. Quoniā domus Dei domus orationis, & esse debet, & dici, ne officina negociationis & spelunca potius sit latronum. Haec Gelasius, cuius sententiam illustrem in hac materia appellaui, quod & communiter ab omnibus allegatur, & vim maximam inesse, ostendit, scripturae testimonius, quae citarat, quum propterea deiici è gradu, iubeat, Clericos transgressores. Et ponderandum inprimis hoc est, quod Gelasius reprehendit Clericos relatos, quia turpia & inhonesta lucra sectabantur, non quia Canonibus Apostolicis, vllisquè legibus Ecclesiasticis interdictum hoc esset, sed quia nullam rationem habebant; *Dominum expulisse de templo negociatores; Paulum ad Timotheum scripsisse. Nemo militans, &c. Dauid cecinisse: quoniam non cognoui negociationes:* ac demum, *quod Ecclesia debet esse domus orationis, non domus negociationis, & spelunca latronum.* Atqui si loca haec nullam haberent vim arcendi Clericos à negociatione, parum sapienter Pontifex Clericos reprehendisset, quod eorum testimoniorum nullam rationem habuissent, paucis enim explicassent, se ab hac reprehensione dicentes; nullā horum locorum scripturae a se habitam rationem, quia ad rem non sunt. Adde, quod si nulla illis inest obligatoria, quomodo relictis tot constitutionibus Ecclesiasticis tot Conciliorum decretis, quin etiam Apostolorum ipsorum Canonibus, hosce scripturae locos Pontifex inducit? An quis adeo imprudentem, & ignarum Pontificem hunc cogitatione fingere ausit (qui sanè doctissimus, & eruditissimus fuit) vt dicat, voluisse quidem illum reprehendere Clericos, quod facerent, quod nō deberent, quod non liceret, nihilominus ad id probandum, assumpsisse illum testimonia, & auctores, quae nihil probant, cum tamen in promptu haberet leges, & Canones certissimos, & neruosissimos, quibus illicitum id probare posset? Prudentiae ratio dictat, quod si quid praetereundum, & omittendum est, omittatur, quod leuius est, quod stringit, & vrget minus; dum ergo praeteritis Canonibus Ecclesiasticis, Gelasius hosce tantum scripturae locos inculcat, eos etiam fortius vrgere, vinculoq;

loq; arctiori ligare, arbitratus est, quam Ecclesię, & Apostolorum Canones faciant. Si vero maioris momenti sunt hæc, quàm iura Ecclesiastica, & Canones Apostolici ad cuiusnam iuris auctoritatem sunt referenda?

Præterea pondero ea, quę sequuntur testimonia à Gelasio citata tanquam ipsorum conclusio. *Proinde huiusmodi aut ab indignis post hac quæstibus nouerint abstinendum, & ab omni cuiuslibet negociationis ingenio, vel cupiditate cessandum, aut in quocumq; gradu sint positi, mox à Clericalibus officiis abstinere cogantur* Particula illa *proinde* illatiua est, & colligit sequentia tanquam conclusionem à præcedentibus.

Propterea auctoritates istę non inducuntur ad leporem quendam, & ad festiuitatem orationis, vt Aduersarij velle videntur, sicuti plerumq; in orationibus, & sermonibus fieri solet, sed tanquam ratio, & anima istius legis. Iustam proinde legem, ac egregiè rationabilem condidisset Gelasius, si totam eam fundasset in principiis adeo insulsis, vt volunt Domini mei, & quę vt est in Prouerbio, neq; cœlum contingerent, neque terram. Si quis Pontifex diceret: *Dominus dicit in Euangelio, Si quis percusserit te in dextram maxillam, prębe ei & alteram, si voluerit, tecum in iudicio contendere & tollere tunicam tuam, dimitte ei & pallium, & quicumquè angariauerit te mille passus, vade cum illo alia duo.* Proinde qui secus fecerit, si Clericus est, à gradu Clericali deiiciatur, si laicus, aliis grauibus pœnis puniatur, quis æquo animo ferat talem legem? quis non derideat illud *proinde*? cur? nulla alia certé de causa, nisi quia sententiæ illæ Christi non habent vim præceptiuam. Ergo neq; sine iniuria Pontificis Gelasij, neq; sine præiudicio sacri illius Canonis vis obligatoria adimi potest testimoniis sacris, quæ in eo citantur. Venio iam ad obiectiones, & responsa Aduersariorum.

2 Cum bis reperisset Dominus in Templo vendentes, & ementes Matt. 2. & Io. 1. facto flagello de funiculis, eos eiicere cępit, dicens: *domus mea domus orationis uocabitur, uos autem fecistis illā speluncam latronum* & rursum *auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negociationis*. Hinc argumentum à Gelasio peti posse dixi, contra Clericos negociantes à minori sic. In altiori gradu sanctitatis sunt personę sacræ, quam loca, & Ecclesia, quæ est vnio Clericorum quā Ecclesia, quæ est vnio lapidum, sed Christus prohibuit à negociatione loca sacra, & Ecclesiam manufactam. Ergo multo magis personas sacras, &

augu-



augustiorem, sanctioremq; Ecclesiam. Et magni ponderis esse argumentum a minori in præceptis Diuinis probaui ex auctoritate Sancti Ambrosij lib.6. ep. 48. Quę respõdentur sunt hęc.

" Quod hic locus nihil facit ad rem. Loquitur enim Domi-
" nus de loco, non de personis, quod omnes summistæ, omnes
" Theologi, omnes interpretes illius loci animaduertunt.) Inductio tamen hæc non probatur, nisi quia Armilla, Angelus Lessius, & Petrus de Aragonia colligunt ex hoc loco negociationem interdum fieri illicitam ratione loci.

Cęterum sunto Aragonia Armilla, Angelus omnes Theologi, omnes Summistę, & omnes interpretes illius loci, quid hoc ad rem? quis negat prohiberi à Christo negociationem in locis Deo dicatis? nullus sanę mentis, opinor; proinde *in re non dubia utitur testibus non necessariis.* Quod facio, hoc est. Suppono (immo supponit Gelasius) prohiberi negociationem in locis, & inde colligo, eam multo magis prohiberi personis sacris; Angelus, Armilla, Aragonia, & Lessius interpretantur locum hunc de locis, bene. Ergo non potest applicari personis? consequentia non tenet. Iam Gelasius applicauit. Applicat verò etiam Ambrosius *Non solum locum Ecclesiæ zelare debemus, sed hanc quoquè in nobis interiorem domum Dei, ne sit Domus negociationis, aut spelunca latronum. Si enim lucra, quæstus pecuniæ, & emolumenta aucupemur, domum negociationis fecimus. Si inuadamus alienas possessiones, fines uiduæ, uel minorum, fecimus speluncam latronũ.* In psal. 118. Cyrillus verò Alex. in Io. lib.2. c. 28. hanc rem à Domino gestam considerans. *Itaq; inquit, quasi in tabula Apostoli cum illud depingebatur. Si quis templum Dei uiolauerit, disperdet eum Deus.* Templum verò, de quo hæc denunciat Apostolus 1. Cor. 3. certè non est Templũ illud materiale, in quo oramus, & à quo ducitur similitudo. Omitto Origenem, Hieronymũ, Chrisostomum, & alios; puto .n. quod à Gelasio, ab Ambrosio, à Cyrillo, factum est, fieri potuisse, etiam si Angelus, Armilla, Lessius, & Aragonia secus sentirent.

3 Secundo, post multa, quæ de hoc loco eruditè omnino, &
" litteratè disserit Dominus A. ad argumentum deniq; respon-
" det. Argumentum a minori hoc loco rectè non vsurpari, quod
" enim in vno Dei templo quod Diuino cultui, & sacris functio-
" nibus religiosè dicatum erat, malo cum aliorum scandalo, &
" offensione mercimonia passim exercerentur, & fortasse non
" sine fraude, & iniustitia, turpi deniq; quæstu, & auaritia, maximum

ximum malum erat, quod non item dici potest, si priuatim Clerici citra scandalum, iustam alioqui, & licitam negociationẽ exerceant. ,, ,, ,,

Sed videamus quæso, quo ex capite argumentum à minori rectè non vsurpetur. Hic .1. dicitur, quod (templum illud Diuino cultui, & sacris functionibus religiose dicatum erat.) At nõne & Clerici omnes ex ui Clericatus Diuino cultui, & sacris functionibus religiosè dicantur? id nemo diffitetur. 2. dicitur, quod (malo cum aliorum scandalo, & offensione mercimonia passim exercerentur) esto fuerit id aliorum cum scandalo (quod tamen à scriptura non constat) numquid Clerici, de quibus agimus, passim, & publicè aliorumq; cum scandalo, & offensione mercimonia non exercent? Adde quod speciosis titulis, & speciosioribus certè, quàm nostra hæc, negociatio illa prætexebatur. Mandauerat scil. Deus Deut. 14 *vt qui à templo longius habitarent, sua dona domi venderent*, alia empturi, ea pecunia in loco Domini. *Proficisceris*, inquit, *ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & emes ex eadem pecunia quicquid tibi placuerit, siue ex armentis, siue ex ouibus* &c. Vbi vulgata habet, *emes*, Pagninus vertit. *dabis pæcuniam.* Septuaginta verò, & Chaldaica paraphrasis *dabis argentum*. Quare dum dicit Deus; *ibis ad templum, & dabis argentum pro bobus, ouibus &c.* Supponere videtur, quod in templo hæc omnia esse deberent venalia. Igitur ex voluntate Dei primum prætexebatur hæc negociatio. Cohonestabat illam præterea finis, dirigebatur nimirũ non ad quoscumq; vsus, (profanos maximè) sed ad eundem Latriæ cultũ, ad quem templum ipsum consecratum, & ordinatum erat. Nõ poterant offerri Deo res cuiuscũq; conditionis, sed lecta omnia, & statuta. Hæc aduenis, vt essent obuia, neq; tempus tererẽt in hostiis perquirendis, ignari locorum, hæc ibi venundari, & pietatis, & charitatis iudicatum est. Ac demum, vt ponderat Iansenius concord. Euang. 19. non est verisimile, in eo, quod propriè templum dicebatur, oues, & boues venditos, cum ibi nec offerrentur, sed in atriis, & porticu templi, ac *Vestibulo exteriori*, vt Origenes dicit. Adde tandem, quod etsi orationi, & sacrificiis templum statutum erat, non vetabantur tamen, immò præcipiebantur in eo alia, quæ certè orationi impedimẽto esse poterant, vt conuiuia, & epulę. Eodem .n. cap. de eisdem oblationibus dicit Deus. *Et comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & Domus tua, & Leuita, qui intra portas tuas est.*

Qua

Quare vbi dixiſſet Chriſtus eis, qui vendebant columbas. *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domũ negociationis.* Et vt inquit Marcus c. 11. *non ſineret, vt transferrent vas per templum.* Quaſi id non poſſet facere Dominus (vtpote quod videretur contra legem Dei) niſi ex Poteſtate Diuinitus data, quæ ſignis, & miraculis obſignari ſolebat. *Dixerunt ei Iudæi quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? & reſpondit eis Ieſus, ſoluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ex quibus liquet, & ſcandalum abfuiſſe, nec defuiſſe Iudæis prætextus honeſtiores, quàm Clero iſti noſtro. Poſtremò verum eſt certè, quod ſupra aſſertum eſt à Domino B. nimirũ quod omnes colligunt, iſtinc, negociationem alioqui licitam fieri illicitam ratione loci, quare fruſtra declinatur ad ſcandalum, ad fraudem, ad auaritiam, turpem quæſtum &c. Hoc vrgemus: dedicatio, & conſecratio reddit illicitam negociationem ratione loci, ergo multo magis ratione perſonarum, quæ collocatæ ſunt in altiori gradu ſanctitatis.

4 Reſpondet tertio Dominus A. quod (Gelaſius prohibet tantum ex hoc teſtimonio negociationes inhoneſtas, & turpia lucra Chriſti exemplo) Accipio hoc. Et addo: negociationes, quas exemplum Chriſti prohibet, nullam aliam, aut turpitudinem, aut deformitatem habent (quam ſciamus) niſi ratione loci, quia Deo ſacer erat. Ergo quæ prohibet Gelaſius Clericis, inhoneſtatem, & turpitudinem habent ex hoc eodem capite ſanctitatis, & conſecrationis. At inquit Dominus A. Gelaſius dicit, *audiuiſſe ſe, plurimos Clericorum negociationibus inhoneſtis, & turpibus lucris imminere.* Benè; ſed inhoneſtis, & turpibus ratione ſtatus Clericalis, vt enim ſupra dixit Bleſen. *Clericus, qui lenius comparat, vt vendat carius, filius eſt auaritiæ, idololatra pecuniæ, ſeruus mammone, venundatus ſub peccato.* Vt enim dixit Ambroſius *Turpia lucra ſunt, ſi ſub pia profeſsione quæſtibus ſtudeatur.* Vnde Hieronymus ad Nepotianũ. *Negociatorem Clericum quaſi quandam peſtem fuge.* Si Rex Hiſpaniarum audiret, filium ſuum aut panem venalem habere, aut alia mercimonia vendere; nõne ſcribere poſſet ei. *Audio te negociationibus inhoneſtis, & turpibus lucris imminere?* Num ergò ſequeretur, credere illum, quod etiam perſonis vilibus turpia hæc, & inhoneſta eſſent? Turpitudo, & honeſtas relationes ſunt, Turpe, & honeſtum relatiua. Honeſtas actus primò requirit, quod actus ipſe congruat, & proportionatus ſit agenti. Ex carentia verò talis proportionis conſurgit

ſurgit turpitudo, & inhoneſtas. Cum ergò mercatura non congruat ſtatui Clericorum, quid dubitamus de eius turpitudine? ſed de hoc alias. Demum aliud eſt quod prohibet Gelaſius, aliud quod audit fieri à Clericis Picęnis. Quid aũt prohibet? *Proinde nouerint, huiuſmodi, aut indignis poſthac quæſtibus abſtinendum, & ab omni cuiuslibet negociationis ingenio, vel cupiditate ceſſandum, aut in quocumq; gradu &c.* Vtcumq; interpretetur indignos quæſtus, certè verba illa. *Omni cuiuslibet negociationis ingenio*, magis vniuerſalia ſunt, quàm negociatio iniuſta, & iniqua. Neq; verbum illud *Cupiditate* Significare poteſt iniuſtitiã, ſed quia, vt dixi in voto, ſola neceſſitas poteſt Clericis licitam reddere negociationem lucratiuam. Idcirco vbi neceſſitas deeſt, lucri cupiditati adſcribitur, & ſic D. Thomas, Alenſis, cæteriq; loquuntur & bene, vt infra demonſtrabo. Hanc igitur (quæ ea eſt, de qua diſputamus) prohibet Clericis Gelaſius illis verbis. Propterea de turpi lucro Carolus Magnus capitul. lib. 1. c. 131. relatus à Gratiano 14, q. 4. nomine Iulij Primi. *Quicumquè tempore meſſis, vel vindemiæ, non neceſsitate, ſed propter cupiditatem comparat annonam, vel vinum, verbi gratia de duobus denariis comparat modium vnum, & ſeruat uſq dum vendatur denariis 4. aut 6. aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.* Hoc autẽ, vt obſeruat Gloſſa, dicit generaliter tàm de Clericis, quàm de laicis, & ideo benè dixit Diuus Thomas in voto. *Quod negociatio lucratiua, ſecluſa neceſsitate, ſpeciem quandam turpitudinis annexam habet*, eoquè magis in Clericis, per ea, quę dicta ſunt, & quę infra dicentur. Ergo lucrum hoc noſtrũ turpe eſt, & prohibitũ.

5 Reſpondet 4. Vtcumq; ſe res habeat, actio illa Chriſti non probat neceſſariò, negociationem iure Diuino Clericis prohiberi: nam alioqui cum Chriſtus diſcipulos ad prædicandum miſit, iis præcipit, vt Matt. ſcribit c. 10. ne poſſiderent aurum, nequè pęcuniam in zonis, neq; peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta &c. hæc omnia iure Diuino Epiſcopis, & Clericis ſeruanda eſſent. Et tamen ſpeciem habent præcepti, quod de illa Chriſti actione non poteſt affirmari.

Sed non modo habet præcepti vim exemplum Chriſti, ſed tantam vim, quantam nullum fortaſſe aliud. *Auferte iſta hinc, nolite facere domum patris mei domum negociationis.* Hæc certè verba imperatiua ſunt, ſed piiſſimis illis manibus facere flagellum, & per vim pellendo, & verberando eiicere de tẽplo emẽtes, & vendentes, effundere æs, Cathedrasq; ſubuertere, certè

facta imperatiua sunt hæc. Ecquodnam aliud ex præceptis Diuinis tanto rigore, tanta seueritate promulgatum, statutum, firmatum est? Similitudo, quę affertur, non currit, & remitto Dominum A. ad ea quę scribit Dominus B. pag. 3. B. c.

6 Dixerunt alij, (argumentum à minori non valere, nisi sit ,, identitas rationis, quę in pręsenti nullo modo reperitur.

Sed falli eos, puto, in vtraq; assertione. Nam argumentum à minori requirit non paritatem, sed maioritatem rationis. Hęc autem in præsenti apertissime reperitur. Nam templum cur sacrum, & sanctum est? quia ritibus Religionis Deo dicatum est ad cultum latrię. Eadem penitus ratione Deo Clerici dicati sunt, ritibus scil. Religionis propter cultum latriæ. Vtraq; ergo Ecclesia sancta eodem genere sanctitatis, & pari ratione vtraq; Deo dicata. Istius verò sanctitatem præ sanctitate illius longè maiorem, & honorabiliorem esse, non dubito; quia, vt inquit S. Thomas 2. secundæ 99. 3. *sanctitas loci ordinatur ad* ,, *sanctitatem hominis, qui in loco sacro cultum exhibet Deo*. Et hinc ,, soluitur illud quod aiunt; *Laicis etiam Christianis negociationem* ,, *fore prohibitam; ipsi enim etiam sunt templa Dei*. 2. Corint. 6. Nam non vocantur templa Dei proprie propter consecrationem, & dedicationem per cæremonias Religiosas, in quibus consistit ratio sacri, & sancti. Sed dicuntur templa metaphoricè propter inhabitantem gratiam Spiritus Sancti, quæ alio sanctitatis genere eos sanctificat. Hæc de secundo testimonio. Venio ad Tertium.

Locus psal. 70. à S. Gelasio citatus propugnatur.

CAP. III.

1 Gelasius eodem capite, vt audiuimus, præter duo superiora testimonia ex auctoritate Christi, & Pauli, tertium etiam allegat ex Dauidis psal. 70. *Quoniam non cognoui negociationes, introibo in potentias Domini*. Ego etsi duobus superioribus, vtpote efficacioribus, contentus, tertium istud in voto præterij, non possum tamen nunc propter reuerentiam Gelasij hoc etiam indefensum relinquere. Ante omnia autem obseruandum, vt obseruat Dominus A. quod huius versiculi 17. ex greco quidē variæ lectiones sunt, erantq; vsq; ad tempora Augustini. Legunt nimirum alij πραγματείας negociationes, quam lectionem, vt Genebrardus obseruat, agnoscunt Augustinus ipse,

Chri-

Chrisostomus, Arnobius. Addo etiam Ambrosium in 3. off. c. 6. Hieronymum, qui etsi legit *litteraturam*, in commentariis tamen interpretatur *negociationes*. Addo demum Blesen. ep. 17. & psalterium Ecclesiæ S. Petri in Vaticano, Alij verò legunt γραμματείας id est *doctrinas*, seu *litteras*. At verbi *negociationes* hebræum punctatum, quod nunc habemus propriè capax non est, habet scil. *sephorot*, quod significat *scripturas, numerationes, libros, litteras*, aliaq; id genus, sine punctis tamen legi potest *sopherot*, quod, vt obseruant Periti lingue sanctæ *lucrosas, & magnas negociationes* significat. Symmacus, & recentiores Rabbini legunt *numerationes*; Vulgata, qua vtimur, *litteraturam*, cui adstipulantur, qui legunt *doctrinas, & litteras*. Facilè tamen conciliari possunt, qui legunt numerationes cum versione, quā Gelasius habebat, nam vt Genebrardus ait *numerationibus, & negociationibus, est maxima coniunctio, cum omnis negociatorum res penè sit in numerando, rationibus subducendis q. d. quoniam non Cognoui negocia huius sæculi, quoniam curis, & occupationibus sæcularibus vacuus sum, quæ mentem à diuinorū contemplatione abducunt, accedam ad celebrandum iustitiam, atq; misericordiam tuam, & beneficia, quæ à te maxima accepi*. Et in hoc sensu negociationem acceperunt S. Ambrosius, S. Hieronymus, & S. Augustinus locis supra citatis. Sanctus Ambrosius. *In negociationem introisse se negat, quia pretiorum captare incrementa, non simplicitatis, sed versutiæ est.* Sanctus Hieronymus interpretatur de negociatione Iudæ. S. Augustinus latè, & copiosè hinc differit aduersus negociatores; & quamuis redacta negociatione ad limites iustitię, & necessitatis, eam vt licitam probet, ostendendo potius quales esse debeant, quàm quales sint negociatores: nihilominus quanti periculi plena sit, probè declarat, dum recenset vitia, quæ illi ut plurimum, coniuncta sunt. Detorquet etiam ad sensum mysticum tam nomen negociationis, quàm nomen litteraturæ, ne, vt ipse dicit, *sicuti offenderat mercatores, offenderet etiam Grammaticos*, immò in mercatorum gratiam, quos ad viuum pupugerat, & vt eos tantisper demulceret, mysticum præponit litterali, sed non ideo sensum litteralem non agnoscit, vt velle videtur Dominus A. Blesensis certè Epistola 17. hinc argumentatur aduersus Clericum negociatorem. Hæc autem versio cęteris probabilior apparet, quia verosimilius est, Dauidem expertem fuisse negociationis, quam aritmeticæ, aut ignarum, & sine litteris, neq; enim verisimile est, tanta insipientia laborasse, qui Deum

eruditorem, & præceptorem habere se statim fatetur. *Deus,* inquit, *docuisti me à iuuentute mea, & vsq; in senectam; & senium ne derelinquas me.* Quare si negociatio, vel numeratio in hoc sensu accipiantur, pugnat plane sententia Dauidis cum Clericorũ negociatione, quod Gelasio negatur.

2 At inquit Dominus A. (Dauid de se ipso loquitur, qui Rex, ,, non Clericus erat, vt inde potius colligendum videatur, vel ne- ,, mini fideli fas esse negociari, quod falsum est, vel negociatio- ,, nem Regibus esse interdictam, quod est ridiculum.)

Sed neutrum planè sequitur. Nam Regum institutio non eadem, quæ Sacerdotum, & Clericorum. Clerici scilicet præcipue ordinati sunt ad cultum Dei, ad laudẽ Dei, ad orationes, & ad seruitium illud supremum, quod omnium consensu humana Natura, summo Iure, Deitati debet, Reges non ita, sed ad dirimendas lites, ad tuendam pacem, ad bella gerenda, & similia. Toto eo psalmo nihil planè aliud Deo pollicetur Dauid quã se laudibus diuinis assiduè incumbere velle. *In te cantatio mea semper. Repleatur os meum laude; vt cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam. Confitebor tibi in vasis psalmi,* hoc est instrumentis musicis, *veritatem tuam Deus, psallam tibi in cithara sanctus Israel. Exultabunt labia mea cum cantauero tibi, lingua mea tota die meditabitur Iustitiam tuam:* &c. Quare videtur Dauid dicere, velle se fungi penitus munere Clericorum. Cæterum quid huic muneri obstat, & aduersatur? quid ei impedimento esse poterat? negociatio. *Hanc non cognoui,* inquit, ideo, *introibo in potentias Domini.* Et exequar, quod pollicitus sum, *& memorabor Iustitiæ tuæ solius.* Religio, scil. Iustitia est, & ea Iustitię pars, quæ Deo tribuit, quod suum est, eiq; à nobis debetur, proinde dum dicit *memorabor Iustitiæ tuæ solius,* perinde est, ac si dicat, *mihiq; cordi erit sola religio,* Dauid igitur negociationem sęcularem pugnare cum munere Religiosi & cum exhibitione debiti clericalis, planè ostendit, dum ait *vacaturum se laudibus Dei, & Religionem solam cordi futuram sibi quia curis negociorum vacuus esset,* quasi dicat, *si illis implicitus fuisset, idem sibi nequaquam possibile futurum.* Quare neq; sequitur, locum hunc ostendere, vel regibus, vel nemini fidelium fas esse negociari, neq; nihil penitus ad Clericos pertinere, neque .n. vel reges, vel cæteri fideliũ tenentur ad cantandas tota die laudes Dei, & reliqua religiosa munera obeunda, sicuti Clerici.

Quid

Quid sit Iustitia, quid Iustum, & Ius. Quid ius naturale, & positiuum. Expenduntur variæ definitiones Iuris Naturæ. Varij gradus eius explicantur, et Ius gentium esse Ius naturale commonstratur.

C A P. IV.

EXpeditus à Iure Diuino Positiuo, & vti opinor, non omnino infeliciter, ad ius naturale calamum conuerto, qua in parte dentatius quam in priori acta mecum res est. Nam, & ignorantiæ nomine à D. B. reprehensus sum, & quę scripsi tanquam sophystica, & chymerica despectui habita.. Iure, an iniuria, rectè, an secus, exitus declarabit. Non tamen ob id Domino meo succenseo; scio .n. quid scholę ferant, quid feruor disputationis, nam & ego aliquando ferulę manum admoui; sed ne iterum hîc labamur deinceps ita, loqui, decreui, vt non meis amplius, sed maiorum, & speciatim S. Thomæ, aut verbis, aut sententiis cuncta explicentur, cuius auctoritas apud omnes maxima est, & quem ipsi etiam Aduersarij tanquam magistrum venerantur. Inprimis autem michi dicendum, quid sit ius, & quid lex, quid ius naturę, quid lex naturæ, quot, & qui gradus eius; hinc enim, vbi alter aduersariorum totus in ęquiuocis hęret, totius controuersiæ conclusio, & determinatio pendet. Et postularent quidem materiæ istæ integrum librum, si cuncta pro dignitate tractanda essent, sed eas ita percurram, ita perstringam, vt nihil necessarium desideretur, nihil redundet.

Omnes virtutes morales in medio consistere, & in mediocritate quadam positas esse, peccata, & vitia in extremis, vel secundum excessum, vel secundum defectum, omnium Philosophorum, Theologorum, omnium hominum consensu receptum est. Vnde Aristotel. 2. Eth. *Virtus moralis est habitus electiuus in mediocritate existens*. Quod exquisite probat, & explicat Diuus Thomas 1. secundæ tota quæst. 54. Hinc peruulgatum illud.

Est modus in rebus, sunt certi deniquè fines,
Quos vltra, citraquè nequit consistere rectum. Et illud.
Inter vtrumquè tene, medio tutissimus ibis. Et verè, vt inquit S. Ioan. Chrisost. hom. 12. in Act. Apostol. *mediocritate seclusa, vbiq; malum est.*

2 Iustitia autem ea Virtus moralis est, quæ vnicuiquè tribuit, quod

quod ei debetur idcirco definitur à I. C. *constans, & perpetua volnntas ius suum vnicuiq; tribuendi* l. iustitia ff. de Iust. & iur. quam definitionem pręclarè elucidat D. Thom. 2. secundæ 58. 1. Hinc varię species eius, nam si Deo tribuit suum, Religio vocatur, si Parentibus, & Patriæ, pietas, si personis dignitate præexcellentibus, obseruantia, si benefactoribus gratia, siue gratitudo, si alteri cuiquam, iustitia particularis, &c. Non esset autē iustitia virtus moralis, nisi in tribuendo cuiq; suum, & ipsa medium seruaret (Deum excipio, cui pro dignitate fieri satis non potest) seruat igitur & ipsa medium, istudq; medium appellatur Iustum, & ius.

3 Cæterum omne medium inter duo extrema consistit, & iustum igitur. Extrema verò iniusta, & iniqua, & in illis iniquitas, & iniustitia, proinde qui vel plus, vel minus medio tribuit cuiquā iniustè agit. Quod autem mediū est inter duas res, quarum altera excedit tertiam, altera ab ea exceditur, ei quę excedit, & exceditur, æquale est. Iustum igitur, & ius quod est medium inter id, quod exceditur, & id, quod excedit personam, cui debetur, & tribuitur, eidem personæ æquale esse debet. Idcirco vt post Philosophum 5. Eth. obseruat S. Thom. 2. secundæ 57. 1. *Ea, quæ adæquantur vulgò dicuntur iustari, & ius*, vt inquit Arist. 5. Eth. 6. *duplici ex capite relatiuum est, & quia medium, & quia æquale, medium extremorum, æquale cui debetur.*

4 Æqualitas autem, seu medietas duplex, nimirum secundum quantitatem (vt cum Theologis loquar, aliter enim Geometrę loquuntur) & secundum proportionem. Secundum quantitatem æqualia sunt, quæ sunt in eodem pondere, numero, & mensura, vt 4. aurei, & 4. aurei 5. & 5. Hac æqualitate siue medietate vtimur in commerciis, & commutationibus humanis, &. Ciuilibus, tanti enim emimus res quanti valent, si 10. decem, si quinque quinque, & tantum damus, quantum recipimus, numo cuncta metiente; in excessu verò, & defectu omnes iniustitiam confitentur. Æqualia secundum proportionem non ita semper se habent, sed possunt etiam esse inter se inæqualia secundum quantitatem, vt explicabo *Ratio* (nimirum secundū Euclidem, quem & Philosophi, & Theologi omnes sequuti sunt) *est duarum magnitudinum eiusdem generis mutua quadam secū dum quantitatem habitudo. Proportio verò est rationum similitudo.* E. g. 8. ad 4. habet se vt duplum ad dimidium. Et ideo habitudo ista vocatur ratio dupla. Omnes verò numeri, qui ad alios quos-

quoſcumq; habent ſe, vt dupli ad dimidios, quia habent ſimilem habitudinem, quam 8. ad 4. vtcumq; inter ſe, & illis inæquales ſint in quantitate, dicuntur tamen habere proportionē cum 8. & 4. & eis æquales ſecundum proportionem. Sic 10. & 5. ſic 20. & 10. ſic 100. & 50. & alij quicumq; in infinitum. Quam Euclides, & Græci ἀναλογίαν vocant, Latini veteres verterunt *proportionem*, vt idem faciunt Cicero de vniverſit. & Gellius lib. 2. c. 25. At D. Thomas, Scotus, & recentiorum pleriq; non ita; ſed *Proportionem* appellant quam Euclides vocat *rationem*; *proportionalitatem* verò, quam veteres vocarunt *proportionem*.

5 Sicuti verò in commutationibus iuſtum, & ius eſt, quod eſt medium, & æquale ſecundum quantitatem, ita in diſtributionibus honorum, & bonorum publicorum, quod eſt medium, & æquale ſecundum proportionem ei, cui debetur, & tribuitur. Idcircò benè colligit Ariſt. quod ius conſiſtit ſemper in 4. terminis, & conſequenter requirit eam analogiam, quam geometræ diſcretam appellant. (continua enim in tribus tantum terminis conſiſtit.) Primus terminus eſt perſona, cui debetur. Secundus perſona (ſiue publica ſit, ſiue priuata, quæ debet. Tertius res eius, cui debetur. Quartus res eius qui debet, ſiue aliter primus, & ſecundus perſonæ, quibus diſtribuendę res. tertius, & quartus res ipſæ diſtribuendæ. Quando verò ſicut habet ſe primus ad ſecundum ita & tertius ad quartum nempe ſicut habent ſe perſonæ ad perſonas, ita habent ſe, & res ad res, tùm iuſtè, & æqualiter ſecundum proportionem diuiſæ ſunt. quamuis inter ſe ſint magnitudine inæquales. Rebus hunc in modum diuiſis rectè illas diſtribuit qui vnicuiq; tribuit quod ipſi ſecundum analogiam reſpondet, nempe, tertium terminū primo, quartum ſecundo. Ita nimirum proportionatus eſt tertius 1. vt quartus 2. Quando enim ſicut habet ſe primus ad 2. ita habet ſe tertius ad 4. A permutata ratione etiam. Ita habet ſe primus ad 3. vt ſecundus ad 4. E. g. ſicut habet ſe 8. ad 4 ita 6. ad 3. ergo à permutata ratione, ſicut habet ſe 8. ad 6. ita 4 ad 3. Tribuit ergo iuſtitia diſtributiua omnibus quod cum eorum conditione proportionem habet, æqualibus ſcil. ęqualia, inæqualibus inęqualia, maiora maioribus, minora minoribus, optimis optima, primas partes primo, proximas proximo, & ſic aliis deinceps prout quibuſq; analogia reſpondet. Ita ſentit Plato in Gorgia, & 6. de legi. Ariſt. 5. Eth. c. 7. Cic. in offic. paſſim.

passim Isocrat. in Areopagit,& ad Nicoclem. D.T. 2. 2. 58. 10 & 61. 8. & omnes scholastici in 4. d. 46.

6 Sicuti verò numus in commerciis, & synallagmatis est mensura communis omnium rerum, qua valorem earum metimur, & æstimamus, & cuius adiectione, vel substractione cũcta adæquantur, & vt ita dicam, iustantur, sic in genere actionum humanarum, Ciuilium, & politicarum indigentia rei ad bonum commune, ex libera dispositione Diuinę voluntatis, siue, *conuenientia actus cum natura humana secundum dictamen rationis naturalis est communis mensura iuris, iusti, & ęqui*. Idcirco, qui plus confert ad bonum commune, plus accipere debet de bono cõmuni, qui minus, minus, qui nihil, nihil, sicut viciſſim, qui plus aufert, plus ab eo de suo auferri debet, qui minus, minus, qui nihil nihil. Hinc pręmia (quæ sũt adiectiones bonorũ) virtutibus; pœnę (quæ sũt subtractiones, & diminutiones bonorũ) peccatis, maiora, maioribus, minora, minoribus tribuẽda, & unicuiq; secundũ analogiam ad uirtutes, & uitia, ad merita, uel demerita.

7 Contingit porrò cõmuni bono humanæ societatis rem proportionatam esse, & indigentiæ eius duplici ex capite, nempe uel ab ipsa natura, uel hominum arbitrio. Quæ indigentię naturali hominum proportionata, & analoga sunt, iura, & iusta naturalia appellantur, quę hominum arbitrio, legitima, & posita, siue positiua à Philosophis, ciuilia à Cicerone, & à Romanis I. C. dicta sunt. Horum utrumq; sic definitur ab Aristotele 5. Eth. c. 11. & à D. Thoma post eum 2. secundæ 57. 2. & 60. 5. *Ius naturale est, quod vbiq; eandem vim habet, non quia sic uideatur, vel non. Legitimum, quod nihil ab initio referebat, hoc uel illo modo esset, sed postquam lata, est lex. refert*. E. g. *Colere Deum, honorare parentes, filios procreare, & educare, iniurias uindicari, viuere secundum uirtutem, gubernari ab hominibus uirtute præstantibus, legibus obedire, & unicuiq; tribuere sua*, habent, vbiq; proportionem cum bono communi humanæ societatis, & velint homines, nolint, his indiget humana societas. At gubernari à regibus, vel ab optimatibus, per consules, vel per 10. viros, colere Deum hoc, vel illo sacrificij genere, punire furta hoc, vel illo genere pœnarum, sacrilegos hoc, vel illo mortis genere afficere, & similia, nil refert, aut sicubi refert, non vbiq; antequam lege statuta sint. Permagni verò, vbi legum auctoritate, sanciantur.

8 Porrò aliquid potest dupliciter conducere ad commune bonum

num h. e. vel tanquam necessarium, vel tanquam vtile, siue, quod idem est, tanquam necessarium simpliciter, & secundum quid. Quod est practicum necessarium simpliciter Theologi venantur per analogiam ad necessarium speculatiuum simpliciter, *sicut enim habent se principia in speculatiuis, ita habent se fines in operatiuis,* finis enim est principium ratiocinationis practicæ, & vltimum in executione est primum in intentione. In speculatiuis sunt quædam prima principia, quibus auditis nemo non assentitur, sicuti. *De omni re verum est affirmare, aut negare. Quæ sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se. Totum est maius sua parte,* & similia. Sic etiam in practicis sunt quædam per se nota, vt bona, & necessaria humanæ societati. Huius generis sunt: *Bonum amandum. Colendus, & amandus super omnia Deus. In societate, in pace, & secundum rationem viuendum. Sua cuiq; tribuenda, &* similia. A primis principiis speculatiuis deriuantur per productas consequentiarum cathenas permultæ conclusiones, necessariæ quidem, sed non omnibus notę, propterea illis non assentiuntur nisi sapientes; immo pleræq; earum iis, qui mathematicis præditi non sunt, mirabiles, & impossibiles videntur. Quod ipsum euenire in practicis, obseruat S. Thomas infra citandus. Quæ deriuantur necessariò à primis istis principiis, proprium hoc habent, quod ea negare non possumus, nisi negemus etiam principia, à quibus deducuntur. Et hoc est signũ necessitatis earum. Hoc argumentandi genus euidens, & familiarissimum est in mathematicis. e. g. Colligunt, *duo latera trianguli æquilateri esse æqualia inter se, quia sunt æqualia vni tertio.* Quam conclusionem negare non potest quis, nisi neget consequenter, verum esse illud primum principium, à quo deducitur. *Quę sunt æqualia vni 3. sunt ęqualia inter se.* Pari ratione *in practicis media necessaria simpliciter* ad assecutionem cuiuscumq; finis proprium hoc habent, quod *sine eis finem illum assequi, omnino impossibile est.* e. g. *si in pace viuendum est.* sequitur ergo *nemini facienda iniuria, & debita tribuenda cuiquè.* Tolle hæc duo, fac non tribui debita cuiq. & iniurias inferri permitte, Viuere in pace, possibile non est. Habent igitur hæc media cum illo fine necessariam connexionem. Rursum *tribuenda cuiquè debita. Ergo colendus super omnia Deus, educandi filij, honorandi parentes, punienda delicta premiis afficiendę virtutes,* necessariæ conclusiones sunt ab illo principio deductæ. Quamcumq; enim ex illis neges, necessariò negandum tibi est, primum illud principium constitu-

tiuum humanarum politiarum. *Reddenda omnibus debita.*

9 Quę vero in practicis vtilia tantum sunt, & nociua, & ita mala, vt non totaliter impediant assecutionem finis, sed eam difficiliorem tantummodo reddant, vel ita bona, vt melius tantũ, & facilius, ad finem perducant comparari solent conclusionibus probabilibus in speculatiuis, quæ neq; prima principia necessario consequuntur neque qui eas neget, necessario neganda sunt ei hęc ipsa prima principia. *Traiiciendum mare.* Ergo *habenda nauis*. est conclusio simpliciter necessaria. *Viuendum; ergo comedendum*, item. *Eundum in Hispaniam, ergo habendus equus*, non est conclusio necessaria simpliciter, sed tantum secundum quid, nam etiam sine equo in Hispaniam itur. *Viuendum ergo bis quotidie comedendum; vel caro edenda*, non sequitur necessario. Nam etiam sine carnibus, & sine duplici hac commessatione victitant homines quanquam non ita commode.

10 Ita habere se ad prima principia practica existimantur per multa ex præceptis & prohibitionibus, quæ sunt iuris gentium, sicuti sunt *matrimonia, rerum diuisio, & proprietas, polygamia, connubia, cũ alienigenis, inter fratres itẽ atq; sorores prohibita*, & similia. Nã sine matrimoniis filij procreari, & educari possunt, & Politiæ stare, ita Massagetæ olim, vt testatur Herodotus libro primo, Britani, & Scoti, vt Dion. lib. 62. & 76. D. Hieronymus lib. 2. aduersus Iouin. populi Lybię superioris, vt Arist. 2. polit. c. 3. & vxores communes habuerunt veteres Persæ, vt Xantippus in Magicis apud Clementem Alex. 3. stromaton auctor est, habentq; Nicolaitæ, & Anabaptistę. Cum Polygamia, & repudio quot nationes victitant? plures quã cũ monogamia, & sine repudio. Rerũ diuisionẽ, & proprietatẽ sustulit Plato post Socratem, & eius Remp. amplexi Anabaptistæ, in eaq; communitate altissima pace fruuntur. *Non enim ibi auditur meum, & tuum, frigidum illud verbum* vt inquit D. Gregorius *quicquid malorum est, in hanc vitam inuehens, innumeraq; gignens bella*. Nicolaus de moribus gentium apud Stobæum serm 5. *Galacthofagi*, inquit, *Scithica gens, sunt iustissimi communibus vtentes tum bonis, tum vxoribus, quare seniores, quidem inter se patres nominãt iuniores autem, filios, & coetaneos, fratres. Apud hos nullus est, qui inuidia, vel odio, vel metu moueri conspiciatur, vt ferunt, propter vitæ communionem, & iustitiam.* Proinde horum prohibitiones, aut præcepta non sunt de iure naturæ tanquam necessaria simpliciter, & primo modo ad commune bonum, sed tantummodo

modo tanquam necessaria secundum quid, suntque ad instar conclusionum probabilium in Speculatiuis, ad quarum negationẽ non sequitur negatio principiorum. Et ideo, vt ait Scotus, secluso quocumq; pręcepto positiuo honestatem, & decentiam quandam inesse matrimonio, & monogamiæ, negare non possumus, sicut cum rerum diuisione, & proprietate maiorem diligentiam, & curam rerum coniunctam cogimur confiteri. Hæc sunt, quæ docent Theologi de iustitia, & iure, & specialtim Sanctus Thomas.

11 Et certè neq; definitio illa Vlpiani l.1.ff.de Iust.& iur.defendi potest neq; alia ex 5. Orig. Isidori datur per causas essentiales, sed per posteriora. Si enim ea tantum sunt de iure naturę, quæ sunt omnibus animalibus communia, neq; Regimen Politicũ, neq; ciuilis societas, neq; viuere secundum leges, neque Religio, neq; Pietas erunt de iure naturæ, neque furta, neque homicidia, neq; adulteria, neq; stupra, neq; incœstus, neque sacrilegium erunt contra naturæ ius. Præterea nulla ratio dictat, quod ea, quæ sunt propria hominis ratione specificę differentiæ, ei naturalia non sint, & sint, quæ ratione generis, cũ tamen hominis saltim potissima pars non in materia, sed in forma, non consistat in genere, sed in differentia specifica. Adde quod hæc sententia errandi occasio fuit apud Clem. Alexan. 3. strom. Carpocrati, qui communitatem mulierum ex iure naturæ astruxit hoc potissimum fundamento, quòd eam natura cætera animalia docuit. Demum quis vnquam quum scire vult, quid naturale, vel non naturale sit cuicumq; rei, non ea potius, quæ sunt eius propria, quærit, quàm ea, quæ sunt ei cum cæteris communia? hoc certè docet natura, & Philosophia. Quid ergo in homine est, quòd ad cætera animantia confugiendum sit, cum scire velimus, quid ei sit naturale? An homini naturale non est, ratiocinari, & ridere, quia cum cæteris animalibus hoc ei non conuenit? Ad homines, ad gentes ergo, non ad bestias respiciendum in indagando iure, quod homini naturale est. Noua inuentio, nouum figmentum fuit illud Vlpiani veteribus Romanis omnino inusurpatum, quibus ius gentium, & ius naturæ idẽ. Cicero 3. offic. ius ita diuidit ex auctoritate maiorũ. *Maiores aliud ius gentiũ aliud ius ciuile esse voluerũt* Proptere a eod. lib. ius gentiũ confundit cũ iure naturæ. *Neq; uerò hoc solum natura, id est iure gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis Ciuitatibus Resp. continetur eodem modo constitutum est.* &

lib. 1. Tuſcul. *Omni in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt*. Gaius l. 9. ff. de iuſt. & iur. Ciceronis, & priſcorum diuiſionem ſequutus *omnes populi*, inquit, qui *legibus, & moribus reguntur partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur*. Iſtud *quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit*, ius gentium, & l. 1. ff. de acquir. rerum dom. promiſcuè gentium, & naturæ appellat. Eidem diuiſioni ſubſcribunt Triphonius l. bona fides ff. depoſiti. Modeſtinus l. 4. § cognationis ff. de grad. con. & affin. neq. aliter ſenſit Florẽtinus l. 3. ff. de iuſt. & iur. Quare non obiiciatur mihi ex definitione Vlpiani, quod prohibitio hęc, qua de agimus, non eſt communis Clericis cũ beſtiis. Ergo non eſt de iure naturæ, eſt enim conſequentia ridenda magis, quàm neganda.

12 Fallit definitio etiam Iſidori, quam ſequitur Gratianus, nempe. *Ius naturæ eſt, quod eſt commune omni nationi, & quod ubiquè inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliqua habetur*. An enim Polytheiſmus non eſt contra naturę ius? per quot tamen ſæcula vniuerſum fermè orbem peragrauit? Connubia filiorum cum parentibus, & fratrum cum ſororibus non ne ſunt contra naturæ ius? *At Perſæ*, vt inquit Hieron. 2. contra Iouin. *Medi, Indi, & Aetiopes Regna non modica, & Romano Imperio paria cũ matribus, et Auiis, cum filiabus, & neptibus copulabantur*. Immo apud Perſas Magus h. e. Sacerdos eſſe non poterat, qui ex matre, & filio genitus non eſſet, vt refert Clem. Alex. 3. Strom. vnde Catullus.

Naſcatur magus ex Gelli, matriſq; nefando
Coniugio, & diſcat Perſicum Aruſpicium
Nam magus ex matre, & nato gignatur oportet,
Si uera eſt Perſarum impia Religio. *Sed, & Macedones ſuſpecti*, inquit Tertulianus in Apologet. *quia cum primum œdipum tragediam audiſſent, ridentes, incesti dolorem* ἄμεαν *dicebant* εἰς τὺν μήτερα Paulo modeſtiores Ægyptij, *quorum tumultus*, vt ſedaret *Cæſar in concionem cum Ptolomæo, & Cleopatra progreſſus, patris eorum teſtamentum de ſcripto recitauit, quo præcipiebatur, ut more maiorũ apud Aegyptios Ptolomeo coniux Cleopatra eſſet* Dion lib. 42. *Maſſagetæ, & Derbices*, inquit, Hieronymus ibi *miſerrimos putant, qui ægrotatione moriantur, et parentes, cognatos, et propinquos cum ad ſenectam uenerint iugulatos deuorant, rectius eſſe ducentes, ut à ſe potius, quàm à uermibus comedantur. Tibareni, quos dilexerint ſenes, ſuſpepdunt in patibulis. Hircani uolucribus, et canibus, ſemiuiuos proiciunt. Caſpij iiſdem beſtiis mortuos, Scithæ eos,*

qui

qui à defunctis amati sunt uiuos infodiunt cum ossibus mortuorum, Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis obiiciunt senes. Hęc Hieronymus, & addit. *Vnum quemq; illud ius naturæ putare, quod didicit.* Argumentum porrò non iniucundum prò conclusione Hieronymi est apud Herodotum in Thalia, de Dario Histaspis Rege Persarum cum Græcis, & cum Indis, qui Calatiæ vocabantur, quorum isti parentes mortuos comedere solebant, illi omnia humana cadauera comburere. Num ergo non sunt contra naturæ ius, quia his prohibitionibus definitio Isidori non conuenit, & per definitionem Isidori turpitudines istæ refelli nō possunt? Furta Germanis Ægyptiis, & Spartanis olim concessa, immo, adulteria tum istis, tum etiam Getulis, & Bactris, vt Bardesanes apud Eusebium lib. 6. de prepar. auctor est, peccataq; contra naturam Bæotis, & aliis Græcorum, quibus etiam alias gentes adiicit idemmet auctor eodem in loco. Non tantum Antropophagi, sed & veteres Scoti ad tempora vsquè Hieronymi humanis carnibus vescebantur. Humanis hostiis Dis litari solitum, Dauid testatur. *Immolauerunt filios suos, et filias suas Dæmoniis,* & hunc morem Persis sanctum fuisse, Herodotus Auctor est, lib. 7. Cartaginiensibus Plato in Minoe, & aliis permultis gentibus lib. 34. Carthaginiensibus addit Porphyrius apud Theodoretum lib. de curan. græc. affect. 7. Rhodienses, Salaminos, Lacedęmonios, Laodicęnos, & omnes veteres gręcos. Certè Cicero oratione pro M. Fonteio acriter ob id in Gallos inuehitur, quo tamen crimine etiam post Ciceronem, nequé Romanos caruisse, Dionys affirmat. Obseruarunt eruditi, quid esset apud gentes *homo sacer;* nimirum, qui expiandis vrbibus tanquam victima dedicatus, annum integrum publicis, & purioribus cibis alebatur. Postea verbenis ad instar victimę redimitus circumducebatur per Vrbem maledictis, & execrationibus à toto populo oneratus, moxq; ex loco præcipiti in mare deiiciebatur tanquam Neptuni Hostia. Interq. deiiciendum solemnia verba enunciabantur περίψημα ἡμῶν γενοῦ *sis pro nobis peripsema*, quomodo allusit Apostolus 1. Cor. 4. *facti sumus omnium peripsema;* ac si diceret, non minus ab omnibus maledicimur, & execramur, quàm illi, qui pro salute publica immolantur. Ecquid igitur pugnat cum iure naturæ, si ex consensu solo omnium gentium, omnium nationum diiudicandum est? Si admittamus definitionem Isidori, subscribamus consequenter errori Epicureorum, quod nihil est iure naturæ

turæ malum, quia nihil eſt quod apud omnes nationes, & vbicumq; æqualiter obſeruetur, & cum Pindaro occinamus: *morem omnium Diuinorum, et humanorum Regē eſſe*. Si autem verum id eſt, quomodo ſtabit illud Apoſtoli. *Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt?* An excuſabuntur a peccato qui Deum verum, & vnum non coluerunt, quia non vbiq, non apud omnes gentes, & nationes vnicè colebatur, & apud multas ne colebatur quidem? abſit, quo igitur iure damnabuntur? Iure naturæ forſan? non certè, ſecundum Vlpianum, & Iſidorum; nam colere Deum, neq; commune eſt homini cum beſtiis: neq; vbiq; & apud omnes nationes ſolo inſtinctu naturę, non conſtitutione aliqua latrię cultus vni Deo tributus. Non iure gentium ſecundum eoſdem, & ſecundum Dominum B. Primum quia ſecundum Iſidorum, *ius gentium eſt, quo omnes fermè gentes utuntur;* vnde magis dici poterat Polytheiſmus de iure gentium, quàm cultus vnius Dei; Pluribus quippe, & multo pluribus nationibus vſurpatus ille, quàm iſte. Adde quod D. B. aſſerit (& conſtanter quidem) ius gentium eſſe ius poſitiuum, non naturale. *Poſitiuum autem eſt*, ex Ariſtotele, & D. Thoma locis ſupra citatis, & ſecundum omnes, qui vnquam de iure ſcripſerunt, *quod antequam ſtatuatur, nihil refert vtrum ſic, vel aliter fieret*. Propterea poſitiuo iure ea prohibentur, quæ non ſunt ſecundum ſe mala, ſed ideo tantum ſunt mala, quia tali lege prohibita, quare, ſublata prohibitione, ceſſat omnis malitia, & iniuſtitia. Vbi ergo non aderat, aut humana, aut Diuina poſitiua prohibitio Polytheismi, plures Deos colere, malum non fuiſſet. Quo igitur iure, ſtantibus his definitionibus damnabuntur, & damnabantur gentes pro Polytheiſmo? nullo forſan? caue: Iure naturæ, ait Sanctus Paulus, & eum ſecuti omnes Patres, omnes Theologi, omnes Chriſtiani. Ergo ſi hoc verum eſt falſum eſt conſequenter, quod quas tradiderunt Vlpianus, & Iſidorus ſint exactæ definitiones iuris naturalis.

13 Poſſunt ſanè ſaluari, vel tanquam deſcriptiones, vel tanquā aſſertiones verę traditæ per inadæquata, at tanquam definitiones nequaquam. ſi dixero omnis Grammaticus eſt homo, & omnis leo eſt animal, verè dixero, non tamen vel hominem definiero, vel leonem, nam definitio conuertitur cum definito; latius autem patet homo quam Grammaticus, & animal, quam leo. Si ſcio quenquam eſſe Grammaticum, conſequenter ſcio,

eſſe

esse hominem quoq; . Si noui hunc esse leonem, noui consequenter illum esse animal. Pari ratione, si aliquod ius commune hominibus est cum omnibus, animantibus, vel etiam hominibus tantum, sed omnibus, instigante natura, sine aliqua constitutione, qualia sunt, quæ referuntur *c. ius naaurale*. 1. dist. quis dubitet hoc esse homini iustum, & naturale iustum? non tamen sufficit hoc ad definitionem iuris naturæ, sed oportet præterea, vt conuertatur negatiuè, scilicet de quocumquè negatur oratio illa, de eodem negetur etiam ius naturale. Sicut quidquid est animal rationale est homo. Quicquid non est animal rationale, non est homo. Non conuertitur autem negatiuè quod de iure naturæ dicitur hic. Nam permulta sunt de iure naturæ, quæ, vt ostensum est, neq; sunt communia hominibus cum bestiis, neq; omnibus hominibus inter se, sicuti multi sunt homines, qui non sunt grammatici, & permulta animalia, quæ non sunt leones. Restat ergo, veras vtiq; esse assertiones istas Vlpiani, & Isidori, easq; affirmatiuè concludere, attamen non esse veras, & perfectas definitiones iuris naturæ, quia negatiuè non tenent, neq; tamen id vitio vertendum, vel I. Consultis, vel Canonistis, non enim eadem exquisita subtilitate res pertractant, qua Philosophi, & Theologi solent, & debent.

Quid sit bonum, & malum; quid præceptum, quia bonum; prohibitum, quia malum. Unde refelluntur duæ conditiones, quas alij requirunt in iure naturæ, iterumquè ius gentium esse ius naturale demonstratur.

CAP. V.

1 VErsatur in ore omnium tanquam axioma receptissimum, quod *ea, quæ sunt de iure naturæ, ideo præcepta sunt, quia secundum se bona sunt, non ideo bona, quia lege præcepta*, idq; verissimum est, & consentaneum definitioni iuris naturę, quam tradit Aristoteles. E contra verò, *quæ sunt de iure positiuo, non ideo esse præcepta, quia secundum se bona sint, sed ideo bona, quia lege præcepta*, & istud congruit cum definitione Aristotelica iuris positiui, sed non omnes assequuntur quid vel axioma istud, vel Aristoteles sibi velint. Idcirco id explicare tantisper necessum est. *Bonum*, vt docet D. Thomas 1. par. q. 5. & in disputatis de bono q. 27. a. 1. & 2. *est relatiuum, additq; supra ens*

ratio-

rationem perfectiui, proinde quęcumq; res ita habet se ad aliam, vt perfectiuum ad perfectibile, bonum ei dicitur. Hinc Simplicius in Epictet. cap. 5. dixit *bonum esse quod secundum naturam cuiuslibet est, quatenus suam obtinet perfectionem* Idcirco D. Thom. præd. a. 1. de bono *In quantum,* inquit, *vnum ens secundum esse suum perfectiuum alterius, & conseruatiuum, habet rationem finis respectu illius, quod ab eo perficitur. Vnde Philosophus dicit in 1. Eth. Quod bonum optimè definiunt dicentes, quod omnia appetunt. Sic ergo primò, & principaliter dicitur bonum ens perfectiuum alterius per modum finis; sed secundariò dicitur bonū aliquid, uel quod est ductiuum in finē, prout vtile dicitur bonum, uel quod natum est consequi finem, sicut & sanū dicitur non solum habens sanitatem, sed perficiens, & conseruans, & significans.* Ob id Collegium Conimbricense disput. 1. q. 1. a. 2. in lib. 1. Eth. rectissimè dixit. Quod *si bonum ex sua ratione formali spectetur, definiendum erit id, quod cuiquè conueniens est. Si verò expendatur secundum proprietates, quæ ipsum consequuntur, quarum vna est appetibilitas, rectè describetur id quod ab omnibus est appetibile, quandoquidem bonum est, obiectum appetitus, & vnumquodquè eatenus appetitur quatenus conueniens est, vel conueniens putatur, & conuenientiam consequitur appetibilitas, vt propria affectio habens se se ad bonum, vt ad colorem visibilitas. Sicut enim color visibilitatis fundamentum est, ita bonum appetibilitatis.* His suppositis, quæ nemo mihi negarit, per se liquet, quid sit præceptum esse, quia bonum, prohibitum quia malum; malum quia prohibitum, bonum quia pręceptum. Quicquid nimirum suapte natura, alterius rei naturę conueniens est, ita vt habeat se ad illam tanquam perfectiuum ad perfectibile, hoc ei naturaliter bonū est. Sicut quod est eidem naturæ disconueniens, ei naturaliter malum est. Hinc est, quod cum viuere in societate conuenientissimum sit humanæ naturæ, habeatq; se ad illam absquè controuersia, tanquam perfectiuum, & conseruatiuum, negare non possumus, quin id ei naturaliter bonum sit tanquam finis. Quicquid verò naturæ conducit, & conueniens homini est ad viuendum in societate, quicquid eam secundum se, vel perficit, vel conseruat, id item ei bonum esse naturâ (sed tanquam medium) non possumus diffiteri. Hinc viuere in pace, & secundum virutem, sua cuiq; tribuere &c. huiusmodi, quia homini ad hunc finem conueniunt, ad eumq; suapte natura conducūt, dicuntur esse bona humanæ societati secundum naturam.

2 Ex bonis rursum, quę conueniunt homini ad fines, & operationes eius naturales, alia, vt dixi, conducunt tanquam necessaria simpliciter, alia tanquam necessaria secundum quid, hoc est alia ita necessaria sunt ei ad consequendum & conseruandum istum, vel alium quemcumq; finem suum naturalem, vt absq; eis illum omnino assequi non possit; alia ita dumtaxat, vt possit quidem absq; eis, sed non ita benè, non ita commodé, non ita perfecte, decenter, & honestè. Sic etiam ex disconuenientibus, & impedientibus assequutionē perfectiui naturalis alia ita discōueniunt, vt totaliter impediant, alia, vt difficiliorē tantūmodo reddāt, & minus congruā, atq; decentem assecutionem eiusdem, sed vtcumquè sit, omnia conuenientia, & perfectiua secumdum naturam, bona sunt naturaliter ex definitione boni. Omnia disconuenientia, mala secundum naturam sunt, siue hoc, siue illo modo disconueniant. Vtrumq; horū bonorum, quia natura conueniens, est de Iure Naturæ, vtrumq; malum, quia natura disconueniens, est contra naturale Ius. Dicat hoc D. Thomas, quem huiusce controuersię præcipuum Iudicem delegi. Hæc eius verba sunt in 4. Sent. d. 33. q. 1. a. 1. *omne illud, quod actionem inconuenientem reddit fini, quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem nature esse dicitur Potest autem actio non esse conueniens fini principali, vel secnndario, & siue sic, siue sic, hoc contingit dupliciter. Vno modo ex aliquo quod omnino impedit finem; alio modo ex aliquo, quod facit difficilem, aut minus decentem prouentionem ad finem principalem, vel secundarium. Si ergo actio sit inconueniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem directè per legem nature prohibetur primis præceptis legis naturę, quæ sunt in operabilibus, sicut sunt communes conceptiones in speculatiuis. Si autem sit incompetens fini secundario quocumq, modo, aut etiam principali, vt faciens difficilem, vel minus congruam peruentionem ad ipsum, prohibetur, non quidem primis præceptis legis nature, sed secundis, quæ ex primis deriuantur, sicut conclusiones in speculatiuis ex principijs per se notis fidem habent. Et sic dicta actio contra legem nature esse dicitur.* Hæc Sanctus Doctor.

3 Ex his facile intelligi potest definitio iuris naturæ, & iuris positiui, quam tradidit Aristoteles, & S. Thomas Aristotelem sequutus. *Ius positiuum*, inquit Aristoteles, *est quod ab initio nihil refert, utrum sic, uel aliter fiat*. Non dicit Aristoteles. Ius Positiuum est, quod non est necessarium (vt nonnulli comminiscuntur) vel quod difficulter elicitur à principijs legis naturæ

vt vult Dominus B. ſed *quod nihil refert, vtrum ſic, vel aliter fiat.* Poteſt autem aliquid referre, vt ante dixit Sanctus Thomas, non tamen eſſe neceſſarium ſimpliciter, ſed vtcumqué referat modo aliquid naturaliter referat h. e. natura habeat ſe tanquam perfectiuum ad perfectibile, falſum eſt, illud eſſe ius poſitiuũ. *Ius naturale*, inquit Ariſt. eſt *quod vbiquè eandem habet vim, non quia ita videatur, vel non.* Non dicit, quod vbiq; eſt neceſſariũ ſimpliciter aut quod faciliter colligitur, ſed quod *ubicumquè habet eandem uim.* Vis autem eius, ſiue ſit neceſſarij ſimpliciter, ſiue neceſſarij ſecundum quid, & congruentis, modo vbiq; habeat à natura eandem vim conuenientis, & perfectiui, efficit hoc, vt ſit ius naturale. Ideo D. Thom. 1. ſecundæ 94. 2. *Omnia*, inquit, *illa, ut facienda, uel uitanda pertinent ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehendit eſſe bona humana.* Colligit autem hoc quia dicit *primum præceptum legis naturæ eſſe: bonum eſt faciendum, & proſequendum, malum eſt fugiendum, & uitandum. Et ſuper hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ.*

4 Quando igitur audimus Axioma illud peruulgatum. *Quæ ſunt de iure naturæ ideo ſunt præcepta, quia naturà bona.* nihil aliud intelligendum eſt niſi *quia natura habent rationem conuenientis, & perfectiui, uel cum natura ipſa, uel cum aliquo fine, quem natura intendit.* Pari ratione, *quæ ſunt probibita iure naturæ, ideo ſunt probibita quia ſecundum ſe mala ſunt, id eſt, quia naturalem diſconuenientiam habent, aut cum natura ipſa, aut cum fine aliquo, quem natura intendit.* Et certè bonum, & malum difiniuntur per perfectiuum conueniens, & diſconueniens, non per neceſſarium, & non neceſſarium.

5 Diſſimulare porrò nec poſſum, nec debeo, quod aſſerit Do-
» minus B. pag.7. voti ſui, nimirum, non eſſe de iure naturę con
» cluſiones illas, quę difficultèr admodum deducũtur ex illis prin
» cipiis per ſe notis, aut quę probabiliter ſolum, ſed concluſio-
» nes, quæ aut difficulter, aut probabiliter ſolum ex primis prin-
» cipiis deducuntur, eſſe iuris poſitiui, accedente lege poſitiua)
Duas partes habet hæc eius aſſertio, altera attinet ad difficultatem, altera ad neceſſitatem. Prior apertè repugnat D. Thomę, poſterior (ni mea me fallit opinio) tutò defendi non poteſt.

De difficultate D. Thomas 1. 2. q. 100. a. 1. *Cum moralia præcepta ſint de his, quæ pertinent ad bonos mores, hæc autem ſunt, quæ rationi conueniunt. Omne autem rationis humanæ iudicium, aliqualiter à naturali ratione deriuatur, neceſſe eſt, quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, ſed diuerſimodè. Quædam enim*

ſunt

ſunt, quæ ratio naturalis cuiuslibet hominis ſtatim per ſe diiudicat eſſe facienda, aut nō facienda, ſicut honora Patrem tuum, & matrem, & non occides, non furtum facies, & huiuſmodi ſunt abſolutè de lege naturæ. Quædam verò ſunt, quæ ſubtiliori conſideratione rationis à ſapientibus iudicantur eſſe obſeruanda. Et iſta ſic ſunt de lege naturæ, vt tamen indigeant diſciplina, qua minores à ſapientibus inſtruantur. Sicut illud. Coram Cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis, & alia huiuſmodi. Quædam verò ſunt, ad quæ iudicanda indiget humana ratio inſtructione Diuina, perquam erudimur de Diuinis, ſicut eſt illud. Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum. Hoc ipſum repetit a. 3. & 11. alibiq; frequentiſſimè. Quare dicere quod ea, quæ difficulter eliciuntur a primis principiis legis naturæ nō ſint de iure naturę, alieniſſimum eſt à mente Diui Thomæ, quem Dominus B. ſibi citat. Explicabo autem infra cap. 8. quid intelligat D. Thomas per particulares determinationes, & quid differant iſtę à concluſionibus, id enim Dominus B. non planè aſſequutus videtur, & abſolutè in æquiuoco verſatur.

6 Longè maioris momenti eſt pars altera aſſertionis, quæ perſiſtit in mera & ſimplici neceſſitate, nequè honeſtatem, conuenientiam, congruentiam, & decentiam admittit in præceptis legis naturæ. Hoc enim ſi admittamus, maximam partem prę ceptorum moralium euertamus neceſſe eſt. Sumamus e. g. prohibitiones adulterij, fornicationis, Polygamiæ, Repudii, Cōnubiorum, inter fratres, & ſorores, præcepta item de ſacrificiis, & oblationibus exterioribus, quæ omnia certum eſt, eſſe de iure naturæ. Peto à Domino B. quomodo probabit, eſſe omnia hæc de iure naturæ, & concluſiones neceſſario facile, & euidenter deductas, a principiis legis naturę per ſe notis? Incipiamus a ſacrificiis, & oblationibus in genere, quas cum communi D. Thomas aſſerit eſſe de iure naturæ. Certè P. Suarez apertè dicit, quod *ex ſolis principiis naturæ non oſtenditur neceſſarium præceptum talium oblationum.* lib. 1. de Diu. cultu neceſſ. ex pręcept. c. 3. §. *Dico ergo*; oſtenditq; *eſſe honeſtam hanc oblationē & decentem, tantumquè congruere humanæ naturæ.* Venio ad matrimonium, & ad concubitum vagum. Qua ratione neceſſariò, & demonſtratiuè ex principiis ſolis legis naturæ probari poteſt: Coniunctionem maris, & fœminæ eſſe debere matrimonialē, non liberam, & vagam? Si ad bonum commune Politiarum, & humanę ſocietatis reſpiciamus, difficillimum eſt, oſtendere,

quod hæc prohibitio deriuetur inde necessariò, habeatq; cũ eo connexionem ita necessariam, vt ea sublata, tollatur ipsum quo què, & intereat. Quin potius si omnes mulieres cum cæteris omnibus, communes essent, tollerentur adulteria, furta, innu mera homicidia, totq; præterea, tantaq; peccata, & mala quot mulierum causa oriri solent, nec rarò, sed frequentissimè. Tot filij pauperum quos inopia compellit ad latrocinia, ad sicas, ad mille turpissima crimina, inde verò ad carceres, ad patibula, ad sexcentaq; alia sæuissima pœnarum genera, si incerti genitorum sumptibus publicis alerentur, nulli horum malorum, neq; culpæ, neq; pœnæ obnoxij essent summo cum Reip. bono. Quot ingenia præstantissima à natura facta ad virtutes heroicas, & ad maxima, & prçclarissima quæq; pauperiè oppressa vilescunt, tabescunt, & quasi mortua intra paternos lares genitorum inopia, & ægestate tumulantur? His non priuatur Resp. nisi quia sunt certo geniti patre, eoq; paupere. Adde quod naturę lege, vt Plato, & Aristoteles probant, quibuscum Agustinus, meliores, & perfectiores secundum virtutem imperare, & regere debent, imperfectiores, & deteriores regi, & obedire. Difficillimum verò est, hanc legem naturæ seruare, stante certitudine prolis, vt ostendunt tot Regna, vbiq; ferè gentium hęreditaria, Hùc accedunt priuata hominum incommoda, quæ matrimonio annexa, à poetis, & aliis virtute præstantibus viris non mediocriter exaggerantur. Hinc illud Anaxandridę.

Quisquis vxorem ducere deliberat, non deliberat
Rectè. Nam vbi deliberauit, statim ducit
Quod multorum vitę malorum initium est. Alexides verò.
An non satius est homini prudenti.
Infamem fieri potius, quàm vxorem ducere,
Si pauper fuerit? Infamem enim non finit
Lex magistratum nactos imperare proximis.
Postquam vero duxeris vxorem, nec tui quidē ipsius Dominum esse tibi licet. Sed pœnas solum, & litigia quotidiana possidebis.

Festiue Menander.

Nullus vnquam mihi amicus vxorem ducat.
Tu, qui vxorem ducere statuisti, scito quod
Bonum habebis, si minus malum delegeris. Celebre est illud Hipponactis.

Bini sunt cum vxore iucundissimi dies,
Alter, quo ducitur, alter, quo mortua effertur. Cheremon

verò

verò posteriorem prætulit priori. *Sepelire vxorem, quam ducere melius est.* Ob incommoda verò vxoria Antiphanes appellauit *nuptias extremum infortunium*, quod argumentum illustrarunt etiam S. Hieronymus lib. 1. aduers. Iouin. & S. Gregorius Nyssenus lib de Virginit. At dicimus, mulierem esse sociam laborum, & curæ familiaris, qua multum indiget homo, & propterea in adiutorium homini à Deo datam. Hoc planè non negant gentiles, sed ait Hesiodus in Theogonia.

Malum viris mortalibus mulieres
Iupiter Altitonans dedit socias operum
Molestorum. Et alterum malū pro bono largitus est. Vide præterea, quid ad hoc argumentū eodē libro respondeat S. Hieron.

Sanctus Thomas 3. con. gen. c. 122. & 2. secundæ 154. 2.
7 hac vna ratione probat matrimonium esse necessarium, *quia educari benè, & commodè proles non potest, nisi diutius vir, & mulier commaneant.* Huic rationi occurrebant Lybes, Britanni, Massagetę, & cæteri populi, quibus mulieres erant communes, sicuti nunc etiam Anabaptistę, & olim Plato lib. 5. de Repub. educantes publicè quicquid à quacumq; nasceretur. Atq; ita fugiebant omnia incommoda matrimonij, neq; incidebant in istud fornicationis. Certè Scotus non cognoscit ex lege naturę in copula matrimoniali necessitatem simpliciter, sed honestatem, decentiam, congruentiam; necessitatem verò collocat in pręcepto Dei positiuo.

Adulteriū præcepit Lycurgus Lacedæmoniis, sic .n. Xeno
8 phon exul apud Lacedæmonios lib. de Lacedęm. Rep. *si vsu veniret, vt vetulus vxorem iuuenculā haberet, quia complures in hac ætate videbat esse, qui uxores diligentissimè custodiant, etiam in hac parte contrarium quidam Lycurgus. Iussit enim, ut hic senex, eo uiro, quem ob corporis, & animi dotes suspiceret ad uxorem adducto, sobolem susciperet.*

Sanctus Thomas prædicta quæstione 154. a. 8. duplici ex capite probat adulterium esse peccatum ex iure naturæ. Primū, *quia accedit ad mulierem non sibi per matrimonium copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ. Secundo quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, & sic impedit bonum prolis alienæ.* Cessat verò vtraq; ratio malitię in casu Lycurgi. Nam maritus vetulus supponitur, neq; ad generationem idoneus, adulter solutus esse poterat, aut habere vxorem pręgnātem, & proles optimè educari poterat, & educabatur, & ideo

Scotus

Scotus in 4. d. 50. q. 2. E. negat præcepto diuino circumſcripto, adulterium eſſe malum mortale ex genere. Et certè ex ſolis principiis legis naturæ difficillimum erit, demonſtratiuè cō uincere iniquitatis Catonem, qui volens volentem vxorem Hortenſio commodauit, quo ad ex ea filios ſuſcepiſſet, & educaſſet. Quod pariter Licurgi legibus Spartanis licitum erat. Immò quod maius eſt. S. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. dom. in mon. c. 29. *ſed tamen* inquit *vtrum, quod ait Apoſtolus, Mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir; ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, poſsit in tantum valere, vt permittente vxore, quæ maritalis corporis poteſtatem habet, poſſit vir cum altera, quę nec aliena vxor ſit nec à virò diſiuncta, concumbere? Sed non ita eſt extimandum, ne hoc etiam fœmina, viro permittente, facere poſſe videatur, quod omnium ſenſus excludit. Quanquam nonnullæ cauſæ poſſint exiſtere, ubi & uxor, mariti conſenſu, pro ipſo marito hoc facere debere uideatur. Sicuti Antiochiæ factum eſſe perhibetur ante 50. annos, Conſtantij temporibus* .& narata hiſtoria concludit *nihil hic in alteram partem diſputo, liceat cuiq; æſtimare, quod uelit. Non enim de Diuinis auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt. Sed tamen, narrato hoc facto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus, quod in illa muliere, uiro iubente, commiſſum eſt, quemadmodum ante, cum ſine ullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus.* Non faueo adulterio ego, ſcio certè fuiſſe peccatum, vtcumq; Auguſtinus ambigat, ſed ex principiis ſolis legis naturæ peccatum demonſtrari mihi poſtulo. Quod quando etiam demonſtraretur, non erit tamen, quin difficillimum cognitu ſit, quando Diuinum illud Auguſtini acumen, & quęſtionem inſolutam, & ad vtramquè liberos omnes reliquit. Difficilius verò demonſtratiuè ex ſola lege naturæ reiicientur Repudium, & Polygamia, quorum neutrum, omnium conſenſu, eſt malum ex genere, ſed vtrumq; ex circūſtantiis, eo magis, quod nedū omnibus ferme gentibus vtrūquè vſitatum, ſed aliquando, vel ipſis amiciſſimis, & cariſſimis Dei.

9 Connubia genitorum cum prole, & fratrum cum ſororibus, qua ratione probant Theologi Iure Naturæ illicita eſſe? demōſtratione aliqua forte? non opinor; ſed decentia tantum, congruentia, honeſtate, inquit D. Thomas præd. q. 54. a 9. *In uſu conſanguineorum, uel affinium inuenitur aliquod incongruum commixtioni venereæ triplici ratione. Primò quia in actibus venereis conſiſtit turpitudo quædam contraria honorificentiæ, quam parentibus debemus Iure Naturæ, & ideo incongruum eſt, quod commixtio venerea*

reà fiat talium personarum ad inuicem. At quid responderent ad hoc gentes habet Ouidius 10. metamo.

Gentes tamen esse feruntur
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur, ut pietas geminato crescat amore. Adde quod geminatus hic amor omnem fere rixarum, odij, & seditionum occasionem pręcidit, pręterquam quod honor parentum est pręceptum affirmatiuum, quod consequenter non obligat pro semper, sed vno tempore potest, & non in alio, [redacted] cum aliquibus circumstantijs, & non cum alijs. Etiam obedire patri, pertinet ad ius naturæ, & ad pręceptum de honorificentia parentum, nihilominus filio Principatum, aut Prelaturam gerenti pater obsequi debet. Si verò per dignitatem filius euadit superior patre, cur per matrimonium non poterit euadere ęqualis matri? Si Imperium, & Regnum eximit filios a potestate parentum, cur matrimonium exuere non poterit pudorē illum, qui ante filiali conditioni congruebat? Quod si Princeps sciet distinguere officia filij ab officijs Principis, cur non & filia officia filiæ ab officijs coniugis? & filius officia mariti ab officijs filij? Ad summum incongruentiam colligit S. Thomas, nequè adeò facile est, necessitatem simpliciter reperire.

10 2 Ratio S. D. est quod *Personas sanguine coniunctas, necesse est simul conuersari. Vnde si homines non arcerentur à commixtione, venerea, nimia opportunitas daretur venereæ commixtionis, & sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam 3. quia impeditur amicorum multiplicatio. Dum enim homo uxorem extraneam accipit, iunguntur sibi quadam speciali amicitia omnes consanguinei uxoris.* Addit. 4. ex Arist. *Quod homo naturaliter consanguineam diligit. Propterea si adderetur amor, qui est ex commixtione venerea fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum, quod castitati repugnat*. Sunto, omnia vera dicerent Persæ, Medi, Ægyptij, Æthiopes, Indi, & cęteræ antiquæ gentes, quæ de nimio amore dixisti, cum hic feruor amoris tendat ad multiplicandā speciem, ad pacem familiæ, & augendas Rerump. vires, quid mali habet? Addent prætera, non ita esse, vt supponitur; nam alius generis amor est, quo prosequimur parentes, & con sanguineos, alius, quo venerem. Ille naturalis iste carnalis, iste in sensu, ille in ratione fundatur. Quare ille isti permixtus quasi aqua igni, calida licet, & feruens iniecta temperat potius, & moderatur libidinis flammas, quam augeat, efficitquè ne coniunctio maritalis amens penitus sit, & irrationalis. Per-

multa-

multaq; differentin hanc sententiam de vi consuetudinis, quæ non ita facilè diluentur. Interdum multiplicari amicos per matrimonia extraneorum, concedent, interdum inde rixas, et discordias, non leues suboriri. At amicitiam à natura insitam, quę simul cum muliere e parentis domo pedem eferre videtur, dum matrimonij iugo firmatur, stringitur, & reuincitur, augeri stabiliriq; magis. Prolem vero quæ indè nascitur tot habere vincula necessitudinis, quot parentibus intercedunt causæ amoris et charitatis. Pręstare autem in Repub. magnas amicitias, & paucas, multis, ac leuibus. Vtcumq; sit, deniq; dicent; tua hęc nihil amplius probant, quam decentiam, congruentiā, & honestatem prohibitionum huiusmodi, & afferunt causas, & rationes probabiles, propter quas lex positiua, qua sancita sūt hęc, rationabilis, & iusta dici potest. Tibi autem nedum honestas, & rationabilitas, decentia, & congruentia rationibus probabilibus, sed necessitas simpliciter demonstranda, & malitia illa intrinseca, & generica istorum actuum, quam dicis necessario requiri ad legem naturę. Hanc autem probare non potes, nisi ostendas, ex hisce actibus prohibitis tolli penitus aliquod ex illis primis principiis, quę omnibus sunt per se nota absoluteq; & simpliciter necessaria. Tibi enim non sufficit, quod reddant difficiliorem, aut minus decentem, & congruam assequutionē finis, quem natura ex matrimonio intendit, sed vis, vt eum penitus tollat. Addent, quod his omnibus non obstantibus, ante legem Mosis, & absq; ea, connubia inter fratres, & sorores illicita nō fuisse, docent meliores notę Theologi D. Thom. in 4. sent. d. 40. q. 1. a. 3. Scotus eadem d. q. 1. à 2. S. Bonauent. q. 2. Cartusianus q. 1. Richardus q. 2 Bachonius d. 38. a. 4. Cæteriq; communiter, idquè ab initio licuisse, extra controuersiam est. Vnde sequitur non esse malum ex genere.

11 Concludo igitur, alterum è duobus concedendum esse mihi à D. B. nempe aut non omnia præcepta moralia, & de iure naturæ requirere connexionem simpliciter necessariam cum illis primis principiis per se notis, aut pręcepta, quę explicata sunt, non esse moralia, non de iure naturæ. Pugnat 2. cum veritate Catholica, primum ergo concedat, quod mihi negarat. Huius sententię pręcipuus defensor, & antesignanus est Scotus. Eius assertionis summa hęc, Ius naturæ Duplex, strictum, & extensiuum. Ad primum pertinent omnia prima principia per se nota, & conclusiones necessario ab illis deriuatæ. Ad 2. omnia præ-

cepta

cepta quæ rediguntur ad prima principia tanquã conclusiones probabiles, illisq; tantummodo congruunt,& habent in se quãdam naturalem decentiam, & honestatem. Sub primo membro collocat saltem duo ex præceptis primæ tabulę, sub 2. cętera omnia moralia. Cæterum D. Thomas ad plura præcepta moralia vult extendi ius naturale strictum, admittit tamen & ipse inter moralia, etiam illa, quæ dicunt solan decentiam, & honestatem, vt infra ostendam.

Hoc supposito, quod explicaui de bono, & malo, deque conuenientia, & congruentia præceptorum legis naturæ, quo nil certius, nil exploratius in Theologia, & speciatim in via S. Thomæ, dignosci nullo negocio potest, an Ius Gentium sit ius naturale, an Positiuum. Si .n. sumamus Ius Gentium cum Vlpiano, & iure ciuili l. 1. §. *Ius Gentium* ff. de iust. & iur. & seq. *quod nempe hominibus inter se commune est, ut religio erga Deum, honor, & obedientia Parentum, & Patriæ, iniuriæ, propulsatio, &c.* quis negare ausit hæc suapte naturà, vbiq; & apud omnes gentes habere rationem conuenientis, & perfectiui cum natura humana? Quis non dixerit, hæc vbiq; & apud omnes gentes esse statuta, & pręcepta, quia vbiq; locorum maximè congruunt cum ciuili societate, ad quam nati, & efformati sumus, eamq. perficiunt? Lapis est, truncus est, qui tantundem sensus non habet. Ergo non bona, quia præcepta, sed pręcepta, quia bona, non mala quia prohibita, sed prohibita quia secundum se mala. Si verò sumamus ius gentium cum Isidoro apud Gratianum c. *Ius gentium.* 1. dist. *quo omnes ferè gentes vtuntur, vt sedium occupatio, ędificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita.* Quis caput adeo vacuum cerebro habere potest, vt eat inficias, horum naturam naturę corruptæ conuenire, & congruere? Quod si naturà hæc habent se ad Politias humanas tãquam perfectiua, congruentia, & conuenientia, & non nichil, sed aliquid refert, & vbiquè refert, ita constitui, & fieri, ambiget ne quis, an sint de iure naturæ? & ideo esse præcepta, quia bona, non bona, quia præcepta? Neget qui vult, certè asserit S. Thomas 2. 2. 57. 3. Quærit scilicet vtrum ius gentium sit idem cum iure naturali, & resoluit tandem, quod *est naturale homini secundum rationem naturalem, quę hoc dictat.* Quare miror, quod D. B. qui citat S. Thomã 1. 2. 95. 4. pro contraria sententia, non respexerit ad hanc

per hæc duo distingui potest, sicut & ius humanum. Sunt enim in lege Diuina quædam præcepta quia bona, prohibita, quia mala; quædam vero bona, quia præcepta, & mala, quia prohibita. Quare secundum S. D. non tenet consequentia. Hoc prohibetur, vel præcipitur iure Diuino, aut humano positiuo. Ergo non est de iure naturæ. Ergo neq; est prohibitum, quia malum, neq; est preceptum, quia bonum. Congruit nimirum sententia S. Thomæ cum illa Ciceronis in offic. 3. *Maiores aliud ius gentium, aliud ius ciuile esse voluerunt. Quod enim ciuile non idem continuò gentium, quod autem gentium, idem ciuile esse debet.* Ciceroni autem, vt ante obseruatum, ius gentium, & naturæ idem. Idcirco cum S. D. eadem q. 95. a 2. obiecisset sibi ex Arist. quod *ius positiuum est, quod ab initio nihil differt, utrum sic, uel aliter fiat, & quod distinguitur contra naturale*, vnde consequens erat, quæ sunt constituta humanis legibus, nō esse de iure naturę, aperté dixit, quod *Philosophus loquitur de illis, quæ sunt lege posita per specificationem, & determinationem quandam præceptorum legis naturæ*, de quibus infra dicendum, *non de his, quæ sunt in lege humana posita tanquam conclusiones deriuatæ a principiis legis naturæ*. Vt enim dixit in corpore ad calcem. *Quæ deriuantur tanquam conclusiones à præceptis legis naturæ* (cuiusmodi asseruit esse iura gentium) *continentur in lege humana, non tanquam sint solum lege posita, sed habent etiam aliquid uigoris ex lege naturali.* Quare dum diuidit ius positiuum in ius gentium, & ius ciuile, perinde est, ac si dicat; ius positiuū, & humanum duas partes habet, aliud quippe ideo iustum est, quia præceptum, & hoc est ius ciuile, & positiuum simpliciter; aliud præceptum quia iustum, & bonum, & hoc est ius gētium, quod etiam naturale est, non enim ab humana tantum lege, sed etiam à natura ipsa vires habet. Mirè ergò congruit sibi D. Thomas, neq; si expendatur sinceré, quidquam facit locus hic ex q. 95. pro conclusione pro qua inducitur. Nunquid .n. furta, homicidia, adulteria, sacrilegia non prohibentur iure naturæ, quia iure ciuili, & Canonico prohibentur? aut quia illo, non istis? Neq; parui momenti res est, asserere, quod ius gentium sit ius nō naturale, sed positiuum propriè, & idcirco tantum iustum, quia humanitus constitutum, & quia ab humanis tantum legibus vires habet: hoc enim apertè cum scriptura pugnat, & iniuriā Deitatis annexam habet. Scribit nimirum Apostolus ad Rom. 1. Quod *gentes cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solum, quia ea faciunt,*

sed etiam qui consentiunt facientibus. Per *Iustitiam Dei* omnes interpretantur (& speciatim Dominus meus A.) *iura naturæ*. Per ea, *quæ digna sunt pœna mortis*, intelligit omnes illas immunditias, quarum ibi cathalogum texit, & ea de quibus cap. præcedenti dictum est, quæ ex illis sunt, quæ vt idem Dominus ait, *cum ratione pugnant, & à recto, honestoq; iudicio sunt maximè aliena* Si enim iniustitia Polytheismi, furti, adulterij, incœstus, fornicationis &c. à sola lege positiua, & Mosaica vires habebat, quomodo verum esse potest, quod populi, qui nec ex nomine quidem, aut Moysem, aut hæbreos notos habuerunt iustitiam Dei cognouerint? Si non cognouerunt legem Mosis, aut legẽ Christi, quomodo iustitiam Dei cognitam habere potuerunt, quæ secundum hanc sententiam circa res istas tota in sola lege positiua consistit? Quod si nulla Dei lege prohibita illis sunt hæc, quomodo ea perpetrantes ex Dei iustitia rei mortis esse potuerunt, maximè legibus ciuilibus eadem permittentibus, immo præcipientibus? Et certè saluari non potest Apostoli sententia, non defendi Diuina iustitia, nisi cum S. Thoma dicamus, quod ea, quæ deriuantur à lege naturæ, & à principiis eius tanquam conclusiones, non ideo tantũ aut mala sunt, quia prohibita, aut bona, quia præcepta, sed præcepta quia bona perfectiua, scil. humanæ societatis, & conuenientia, congruentiaq; cum recta ratione, prohibita, quia mala, & dissona ab eadem, nequè habent omnem vim a sola lege positiua, & consequenter non sunt simpliciter de iure positiuo, sed etiam habent aliquid vigoris ex lege naturali, quæ est Diuina, & sunt de iure naturæ, quod est Diuinum, & obligat violatores ad pœnam æternæ mortis. Idcirco definitio quam affert Aristoteles iuris naturæ, & ipsum, & alios, qui iuxta legem naturæ non vixerunt, in die iudicij iustissimè reos faciet æternæ mortis, nihilq; proderit ei allegare iura, aut Ciuilia, aut etiam gentium, per quę licebant turpiora quædam, nimirum docuit ipse, quod ius naturæ vbiq; habet eandem vim, quę arbitrio hominũ subiecta non est. Valebitq; Ciceronis illud offic. 3. *Hoc quamquam, video, propter deprauationem consuetudinis, neq; more turpe haberi, neq; aut lege sanciri, aut iure ciuili, naturæ tamen lege sancitum est*. Et rursum quod habet in 1. de leg. *Quod si Populorum iussis, si Principum decretis, si sententiis Iudicum iura constituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterari, ius testamenta falsa supponere, si hæc suffragijs, aut scitis multitudinis probarentur. Quæ si*

tanta

tantâ potentia stultorum sententiis, atq; iussis, vt eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt ea, quæ mala, perniciosaquè sunt, habeantur pro bonis, ac salutaribus? aut cur cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem non possit facere ex malo? Atqui nos legem bonã à mala, nulla alia nisi naturali norma diuidere possumus nec solum ius à natura diiudicatur, verum omnia honesta, ac turpia. Iustè igitur Cicero suo ipsius iudicio reus agetur; quod certé fieri iuste non posset, si ius naturę, non à recta ratione, sed aut à bestiis, aut etiam ab omnium, aut ferè omnium hominum consensu penderet, ac inde tanquam à fonte petendum esset.

Ius naturæ. & mutabile, & dispensabile tàm secundum Philosophos quam secundum Theologos demonstratur.

CAP. VI.

1 COnstituto iure naturæ, eiusq; essentia, & definitione, quædam dubia explicanda sunt, in quibus Aduersarij collocant omnes neruos causæ suæ, duo sunt hæc in primis; alterum an ius naturæ mutari, alterum quod huic affine est, an dispensari possit. Et quidem D. A. illud inquid, extra omnẽ controuersiam est; pręcepta iuris Diuini, siue positiui, siue naturalis nullam admittere posse dispensationem, nam præcepta iuris naturalis sunt prorsus immutabilia, vt colligitur ex Aristotele lib. 5. Eth. c. 7. Lactantio lib. de vero cultu c. 8. August. lib. 83. qq. q. 52. & de vera religione c. 31. & de lib. arb. c. 6. D. Thoma 1. 2. q. 94. 4. & 5. q. 100. a. 8. 2. 2. q. 66. a. 2. ad 1. & q. 104. a. 4. ad 2. Ita fit, vt prima præcepta iuris naturalis præsertim negatiua, nec à Deo quidem dispensari queant vt asserit D. Thomas 1. 2. q. 100. 8. & alij permulti, quos refert Suarez 2. de leg. c. 14. Hæc D. A. quæ nobis singulatim examinanda.

2 Ante omnia autem (bona cum venia doctissimi viri dixerim, doctissimum dico, quia verè illum, vt eruditorum omnium nostri sęculi facile principem, summa reuerentia, & honore prosequor) tantum abest, quod vel Aristoteles, vel D. Thomas, aut quisquam ex patribus quos ex Suares citat, asserat: ius naturale mutari non posse, vt potius vnanimes, & Arist. & D. Tho. iisdem in locis, aperté, libereq; mutari posse, & fateantur, & profiteantur; cęteri aut nihil dicant, aut nihil ad rem. Ero fortasse prolixior, & accuratior hac in parte, quam res hæc postulare videatur. Cæterum quia non tam in hac controuersia, quã

in

in aliis longe grauioribus, & sanctioribus opinio de indispensabilitate legis naturę inexplicata multis imposuit, multisq; fuit lapis offensionis, & petra scandali. Propterea nihil indiscussum præterire decreui, neq; tantum absterret me odium contentionis, quantum impellit, cogitq; amor veri, & ea charitas, qua Sanctæ Matri Ecclesiæ obstrictus sum. Nihil mihi tamen arrogantius vendico; cedo omnibus ingenio, eruditione. Scio Dominum A. æqualibus meis tantum eminere. *Quantum lenta solent inter viburna cupressi.* Neq; cornicē me Aquilæ cōponere ausim. Verum dum quæro tantum ex illis fontibus ad quos me remittit quid senserint Aristoteles, D. Thomas, aliiq; Theologorum, & Philosophorum Coriphęi, quorū auctoritatē D. A. aliunde inducit, quosq; non minus veneratur ipse quam ègo illum, non iniquè laturum confido, si eos vbi audiero, & sequar, & propugnabo.

Postquam Aristoteles lib. 5. Eth. c. 11. (vel secundum aliam 7. aut secundum aliam versionem 10. variant enim) definierat ius legittimum, quod nos positiuum appellamus, statim attulit opinionem, & difficultatem ex Epicuri scola, & Prodici Pręceptoris Socratis *videtur,* inquit, *quibusdam omnia iura esse eiusmodi*, h. e. legittima, & positiua. Rationem eorum subiecit. *Nam quod naturale est, id immutabile est, vbiquè eandem habet potestatem, vt ignis hic, & in Persis vrit. Iura verò mutari videntur* Vnde sequebatur, nulla iura esse naturalia. Quare maior illa, in qua D. A. suam assertionem fundare videtur, non est Aristotelis, sed Epicuri vel Aristippi Socratici (vt placet D. Thomæ in comment.) Quid verò ad illam Aristoteles? *At hoc*, inquit, *non ita est, sed quodam modo, quanquam apud Deos fortasse nullo modo est, apud nos autem quoddam etiam naturale, quoddam mutabile est licet non omne.* h. e. quod naturale est Deo, & substantiis à materia separatis, illud quidem omne forsan est immutabile. At quæ nobis naturalia sunt, falsum est, ea nullatenus mutari posse, mutari scilicet possunt, quamuis non vniuersim, & omni modo. Mox subdit. *Sed est tamen,* inquit, *aliud natura, aliud non natura*. q. d. Quamuis igitur mutentur omnia iura; aliud tamen ex eis naturale est, aliud non naturale. Deinde subiicit. *Patet autem, quidnam eorum, quæ possunt & aliter se habere, natura constat, & quid non, sed lege, ac instituto, si ambo mutari similiter, possint.* q. d. scire si velimus, quod ex iuribus mutabilibus sit naturale, quod non naturale, considerare oportet, an simili

modo

modo, & ratione vtraq; mutari possint. *& ad cætera accomoda bitur eadem definitio* q. d. à cęteris rebus naturalibus, & mutabilibus, ad explicandam regulam hanc, exemplum sumetur. *Dextera namq; manus validior est leua naturà, & tamen fieri potest, vt omnes euadant ambidextri* q. d. non sequitur, omnes possunt euadere ambidextri, ergo dextra non est naturà validior, quā sinistra, neq; enim natura, sed vsu, & exercitatione sinistra inualescit æquè ac dextra, dextra verò non ita, sed natura. Quare cum eodem modo vtræq; non inualescant, sed alia natura, non vsu, alia non naturà sed vsu, hinc dignoscimus, vtra potentior natura. Eapropter ad mentem Arist. quotiescumq; scire velimus, an aliquod ius naturale sit, an non, non ad vsum, & consuetudinem, sed ad naturam rerum respiciendum, & considerandum, an vires iuris inde habeat, an ab arbitrio, ab vsu, & con suetudine; vsu nimirum, & consuetudine inualescere possunt etiam iura non naturalia. Quare sententia Aristotelis coincidit cum sententia Ciceronis relata ad calcem cap. antecedentis. Vtcumq, sit, mihi sat est, quod Aristoteles fatetur iura naturalia mutari posse (quamuis non omnia) & hoc ipsum fateri hic S. D. quamuis propter textum mendosissimum, quem habebat, paulo aliter, quam ego Aristotelem interpretetur. Et eā maiorē, quā D. A. assumit, vt Aristotelis, nō esse Aristotelis sed Aristippi præceptoris Socratis, Prodici puto dicere voluisse, hunc .n. in Menone, magistrum habuisse se fatetur Socrates, apertè dicit. Oppositum verò Prodici, & Epicuræorum affirmare Arist. nemo ex interpretibus non agnoscit. Tantum igitur abest, quod Arist. dicat: Iura naturalia mutari non posse, quemadmodum inducitur, vt verius istud ipsum ex pfroesso tanquam falsum reiiciat. Videatur ibi S. Tho. qui exēplis, & argumentis sententiā Arist. mirificè confirmat. Inter cætera verò, quæ de iure naturali, dicit S. Tho h. e. *ea, quæ sunt naturalia apud nos, sunt quidem eodem modo, vt in pluribus, sed vt in paucioribus deficiunt, sicut naturale est, quod pars dextra sit vigorosior, quàm sinistra, & hoc in pluribus habet veritatem, & tamen contingit, vt in paucioribus aliquos fieri ambidextros, quia sinistram habent æquè valentē ac dextram. Ita etiam & ea, quæ sunt naturaliter iusta, vt puta depositū esse reddendum, vt in pluribus est obseruandum, sed vt in paucioribus mutatur.* Hoc autem quod de iure naturæ dixit S. Thomas. Cicerò copiosè prosequitur in 3. offic. ac tandem concludit *Sic multa; quæ naturà honesta videntur esse, temporibus fiunt non*

honesta.

honesta. *Facere promissa, stare conuentis, reddere deposita, commutata vtilitate, non honesta*. Id autem hic obseruaui, quia putant permulti ea prohiberi tantum iure naturæ, quæ ex genere, & intrinsecè mala sunt, & nullo vnqnam casu licere possunt, non quæ tantum, vt in pluribus locũ habent, eosq; vehementer reprehendunt qui aliter opinentur, cum tamen hactenus habeamus Aristotelem, Ciceronem, & D. Thomam, qui, ducente, & cogente naturà, hoc ipsum prędicant. Cęterum ad loca summæ citata veniamus, & videamus, an S. D. fortè mutarit sententiam, ibiq; doceat, nulla iura naturæ mutari posse, quemadmodum inducitur.

3 Ex 1.2. q. 94. citantur a. 4. & 5. Quę habentur a. 4. sunt hæc Quærit vtrum lex naturæ sit vna apud omnes. Respondet. Quod legis naturæ duæ partes sunt. Prima, principia omnibus per se nota, et conclusiones ab istis deductæ. Quo ad principia est vna apud omnes, quo ad conclusiones nequaquam. Verba eius appono. *Ad legem naturæ pertinent ea, ad quæ homo naturaliter inclinatur, inter quæ proprium homini est, vt inclinetur ad agendum secundum rationem. Ad rationem autem pertinet, ex communibus ad propria procedere, vt patet ex. 1. phys. Aliter tamen se habet circa hoc ratio speculatiua, aliter practica*. Explicato processu, & habitudine rationis speculatiuæ concludit. *Sic igitur in speculatiuis est eadem veritas apud omnes, tàm in principiis, quàm in conclusionibus, licet veritas non apud omnes cognoscatur in conclusionibus, sed solum in principiis, quæ dicuntur communes conceptiones. Sed ratio practica negociatur circa contingentia, in quibus sunt operationes humanæ, & ideo si in communibus sit aliqua necessitas, quanto magis ad propria descenditur, tanto magis inuenitur defectus. Sic igitur in speculatiuis est eadem veritas apud omnes tàm in principiis, quam in conclusionibus, licet veritas non apud omnes cognoscatur in conclusionibus, sed solum in principiis, quæ dicuntur communes conceptiones. In operatiuis autem non est eadem veritas vel rectitudo practica apud omnes quantum ad propria, sed solum quantum ad communia. Et apud illos, apud quos est eadem rectitudo in propriis, non est æqualiter omnibus nota*. Nonnullis interiectis exemplo rem illustrat. *Apud omnes rectum est, & verum, vt secundum rationem agatur. Ex hoc autem principio sequitur quasi conclusio propria, quod deposita sint reddenda. Et hoc quidem in pluribus uerum est. Sed potest in aliquo casu contingere, quod sit damnosum, & per consequens irrationabile si deposita reddantur. Puta si aliquis*

aliquis petat ad impugnandum patriam. Et hoc tanto magis inuenitur deficere, quanto magis ad particularia descenditur. &c. Ac deniq; colligit *Sic igitur dicendum, quod lex naturæ quantum ad prima principia communia est eadem apud omnes & secundum rectitudinem, & secundum notitiam, sed quantum ad quædam propria, quæ sunt quasi quædam conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes etiam vt in pluribus, & secundum rectitudinem, & secundum notitiam. Sed vt in paucioribus potest deficere, & quantum ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta, & etiam quantum ad notitiam, & hoc propter hoc quod aliqui habent deprauatam rationē ex passione, seu mala consuetudine, seu ex mala habitudine, naturæ.* Et hoc ipsum repetit in responsione ad 2.

4 In art. 5. quæris. *An lex naturæ mutari possit.* Respondet. *Lex naturalis potest intelligi mutari dupliciter. Vno modo per hoc quod aliquid ei addatur, & sic nihil prohibet, legem naturalem mutari, &c. Alio modo potest intelligi mutatio legis per modum subtractionis, vt s. aliquid desinat esse de lege naturali, quod prius fuit secundum legem naturalem. Et sic quantum ad prima principia legis naturæ omnino est immutabilis. Quantum autem ad 2ª. præcepta, quæ diximus, esse quasi quasdam proprias conclusiones propinquas primis principiis, sic lex naturalis non immutatur, quin vt in pluribus sit rectum semper, quod lex naturalis habet. Potest tamen mutari, & in aliquo particulari, & in paucioribus propter aliquas speciales causas impedientes obseruantiam talium preceptorum.* Hæc D. Thomas in hisce duobus locis, in quibus tanquam in propriis sedibus agit de mutabilitate legis naturæ, quę si congruant meæ sententiæ, an oppositæ, nemo non videt. Venio ad alia.

5 In q. 100. a. 8. quærit, an *præcepta Decalogi sint dispensabilia.* Quam quæstionem antequam resoluat, duo supponit. Primum quid intelligat per dispensationem; secundum quo sensu accipiat præcepta, & prohibitiones Decalogi. Primum sic explicat. *Tunc in præceptis debet fieri dispensatio, quando occurrit aliquis particularis casus, in quo si verbum legis obseruaretur, contrariaretur intentioni legislatoris.* Idquè ait supra à se explicatum fuisse, & explicarat quidē q. 96. a. 6. & 97. a. 4. Mox subdit *Intentio autē cuiuslibet legislatoris ordinatur primo quidem ad bonum commune. 2ª. autem ad ordinem virtutis, & iustitiæ, secundum quem bonum commune cōmensuratur, & ad ipsum peruenitur. Si qua ergo præcepta dentur, quæ contineant ipsam conseruationem boni communis, vel ipsum ordinem iustitiæ, & virtutis huiusmodi pręcepta continent intentionē*

legislatoris, & ideo indispensabilia sunt. Puta si poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quod nullus destrueret Rempub. nequè proderet Ciuitatem hostibus, siue quod nullus faceret aliquid iniustè, vel malè, huiusmodi præcepta essent indispensabilia. Nonnullis interiectis secundum declarat. *Præcepta autem Decalogi continent ipsam intentionem legislatoris Dei; nam præcepta primæ tabulæ, quę ordinant ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune, & finale, quod Deus est. Præcepta autem 2. tabulæ continent ordinem iustitiæ inter homines obseruandæ, vt s. nulli fiat indebitum, & cuiuslibet reddatur debitum*; verba ponderanda *secundum hanc enim rationem intelligenda sunt præcepta Decalogi. Et ideo præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia.* Quare secundum S. Thomam pręcepta Decalogi, non intelliguntur absolutè, vt sonant, sed affirmatiua restringuntur ad clausulas *debitè, & iustè* Negatiua ad clausulas *indebitè, & iniustè* & eas in se includunt, ita vt cum audiuimus *Honora parentes* subintelligamus consequenter *debitè, & iustè* non occides *indebitè, & iniustè* & sic de cęteris. Vnde autem hoc, vel illud debitum, aut indebitum sit, aliunde petendũ. Quo supposito, nemo, nisi fungus sit, dicere potest, non modo quenquam hominum, sed vel Deum ipsum in ills dispensare posse. Quis enim dixerit Deum intendere posse, vt quis quid iniustè, & contra virtutis debitum faciat? Negaret se ipsum Deus (vt benè infert S. D.) si tale quid vellet, maximè quod prima, & suprema regula debiti virtutis, & iustitiæ est eius voluntas, vt benè tradit D. Thomas hoc eod. a. ad 3. in 1. par. 106. 6. 2. in 1. 2. 71. 6. 4. 95. 5. 2. in 3. con. gen. c. 100. in 1. sent. d. 43. q. 2. a. 2. & alibi). At cum supposito debiti, & iustitiæ non modo non potest Deus dispensare in præceptis Decalogi, sed neq; in quocumq; alio. Si .n. intelligamus *Promissa seruanda, debitè reddenda deposita, debitè, non habendę plures vxores indebitè. Non fornicandum indebitè*, & sic de singulis, nullus vnquam casus contingere poterit, in quo Deo fas sit, concedere, ne seruentur ista præcepta. Neq; enim concedere potest, vt peccemus. Hoc .n. ipso quod aliquid à nobis fieri vult iubetq; aufert actui volito omnem deformitatem, & induit eum ratione debiti, & iustitiæ. Propterea cum hac hypothesi verum est quod non tantum prima præcepta legis naturæ, sed alia omnia, siue 2. siue 3. siue 10. indispensabilia sunt etiam per Diuinam potentiam. Nec modo de his, sed etiam de quocumq; alio actu humano, liberè id affirmari potest.

Cæte-

6 Cæterum, si absq; hac hypothesi absolutè, & vniuersaliter intelligantur, sicuti sonant, & sicuti omnes leges, & præcepta ab omnibus ferri solent, ad mentem Diui Thomę (quid enim alij sententiant, dicā mox) præcepta Decalogi sunt ne mutabilia, & dispensabilia? Quis dubitet? Dixit iam ipse S. Doctor, & apertè dixit, neq; modo locis citatis hoc asseruit, sed & iis, qui sequuntur. Prima par. q. 19. a. 6. in resp. ad 1. *Considerandum est*, inquit, *quod vnumquodq; secundum quod bonum est, sic est volitum à Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolutè consideratur bonum, vel malum, quod tamen prout cum aliquo adiuncto consideratur, quæ est consequens considera tio eius, è contrario se habet, sicut hominem viuere est bonum, & hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel viuens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, & malum est eum viuere. Vnde potest dici, quod Iudex iustus antecedenter vult omnē hominem viuere, sed consequenter vult homicidam suspendi.* Hinc in disputatis de pot. Dei q. 1. a. 6. ad 4. *nihil prohibet*, inquit, *aliquem actum, qui ex se esset peccatum mortale, aliqua circumstantia addita, fieri virtuosum. Occidere enim hominem absolutè peccatum mortale est, sed ministro iudicis occidere hominem, propter iustitiam ex pręcepto Iudicis, non est peccatum, sed actus iustitiæ. Princeps enim Ciuitatis habet disponere de hominibus quantum ad vitam & mortem, & alia quæcumquè pertinent ad finem sui regiminis, qui est iustitia.* Propterea in 4. sent d. 33. q. 2. a. 2. q. 1. *Dispensatio in præceptis, quę sunt aliquo modo legis naturæ, est sicut mutatio cursus rei naturalis, qui quidem mutari dupliciter potest. Vno modo ex aliqua causa naturali, per quam alia causa naturalis impeditur à cursu suo, sicut est in omnibus, quæ ex maiori parte accidunt casualiter in natura; sed per hunc modum non variatur cursus rerum naturaliū, quæ sunt semper, sed quæ sunt frequenter. Alio modo per causam penitus supernaturalem, sicut in miraculis accidit. Et hoc modo potest mutari cursus naturalis non solum, qui est ordinatus, vt sit frequenter, sed qui est ordinatus etiam vt sit semper, vt patet in statione solis tempore Iosue, & reditu eiusdem tempore Ezechiæ, & de eclipsi miraculosa tempore Passionis Christi. Hæc autem ratio dispensationis in præceptis legis naturę, quandoq; est in causis inferioribus, & sic dispensatio cadere potest super 2. præcepta legis naturæ, non autem super prima; quia illa sunt quasi semper existentia, vt dictum est de pluralitate vxorum, & de huiusmodi. Aliquando autem est tantum in*

causis superioribus, & sic dispensatio potest esse diuinitus, etiam contra præcepta prima legis naturę. in 1. 2. 97. 4. 3. *lex naturalis in quantum continet præcepta communia quæ nunquam fallunt, dispensationē recipere non potest, in aliis autem præceptis, quæ sunt quasi conclusiones præceptorum communium, quandoq; per hominem dispensantur.* Esse autem præcepta Decalogi conclusiones deductas à principiis legis naturę, millies docet. Sufficit hoc ex q. 95. a. 2. *Deriuantur quędam à principiis communibus legis naturæ per modum conclusionum. Sicut, hoc quod non est occidendum, vt conclusio quædam deriuari potest ab eo, quod est, nulli faciendum esse malum.* Huc prętereà spectant quę tradit q. 100. a. 1. & 11. vbi ex professo id explicatur in 2. 2. q. 57. a. 2. ad 1. vbi discutit diuisionem iuris in naturale, & positiuum. *Illud,* inquit, *quod est naturale, habens naturam immutabilem, oportet, quod sit semper, & vbiq; tale. Natura autem hominis est mutabilis, & ideo id quod est naturale homini, potest aliquando deficere. Sicut naturalem æqualitatem habet vt deponenti depositum reddatur. Et si ita esset, quod natura humana semper esset recta, hoc esset semper seruandum, sed quia quandoq; contingit, quod voluntas hominis deprauatur, est aliquis casus, in quo depositum non est reddendum.* Immo eodem a. 8. quęst. 100. in resp. ad 3. *Occisio hominis,* inquit, *prohibetur in Decalogo, secundum quod habet rationem indebiti. Sic enim pręceptum continet ipsam rationem iustitiæ. Lex autem humana hoc concedere non potest, quod licitè homo indebitè occidatur. Sed malefactores occidi, vel hostes Reip. hoc non est indebitum. Unde hoc non contrariatur præcepto Decalogi, nec talis occisio est homicidium, quod præcepto Decalogi prohibetur.* Fac præceptum istud non restringi ad hanc vniuersalem rationem iustitiæ, sed accipe ipsum absolutè, & in genere, sicuti sonat, & sicuti aliàs accipi posse S. Doctorem docuisse, vidisti, nōnè apertè admittit hic mutationem, & dispensationē ineò? At argumenta redundant, vbi est aperta, & libera ipsius S. D. confessio. Sed pergamus ad cętera ipsius loca ex aduerso citata.

7 In 2. 2. q. 66. nihil huiusmodi dicit. Videatur. Vnum hoc dicit, quod diuisio rerum & proprietas non est contra ius naturale, neq; rerum communitas de iure naturę propriè.

8 Multo minus in q. 104. a. 4. asserit quidquam de immutabilitate, aut indispensabilitate iuris naturę. Tantum dicit. Quod *Deus non potest facere contra naturam, quia quicquid in aliqua re operatur, hoc ei naturale est, quamuis sit contra solitum cursum naturæ.* Immo ea, quę dicit, si considerentur, mirum in modum faciūt contra immutabilitatem legis naturæ. Nimirum asserit, quod

in

in hoc consistit Virtus, & rectitudo voluntatis humanæ, quod Diuinæ voluntati conformetur, & eius sequatur Imperium, quamuis sit contra consuetum virtutis modum. Modus autem virtutis consuetus a lege naturali pendet. Perinde igitur est, ac si dicat. Obediendum esse Deo etiam contra peculiarem hanc, quam habemus, naturæ legem. Hoc autem sit ne dispensare, an non, nemo non percipit. Ita neq. Astoriteles, neq. D. Thomas dicunt, legem naturæ omnem immutabilem, & indispensabilem esse, sed vterq. eorum in ea dispensationem, & varietatem aliquam non obscurè, sed liberè, sed palam, sed apertè, & ore rotundo agnoscunt, admittunt, & mutabilitatem eius omnino constanter asseuerant. Reliqui sunt ex citatis Lactantius, & Augustinus. Videamus quid dicant.

9 Lactantius lib. de vero cultu c. 8. *suscipienda igitur*, inquit, *Dei lex est, quæ nos ad hoc iter dirigit, illa Cælestis, quam M. Tulius in lib. de Rep. 3. penè Diuina voce depinxit; cuius ego, ne plura dicerem, verba subieci. Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocat ad officium iubendo, vetando, à fraude deterrendo, quæ tamen neq. probos frustra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando mouet. Huic legi nec propagari fas est, neq. derogari ex hac aliquid licet. Nec verò aut per senatum, aut per Populum solui hac lege possumus. Neq. est quærendus explanator, aut interpres eius alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac? Sed & omnes gentes, & omni tempore vna lex, & sempiterna, & immutabilis cōtinebit, vnusq; erit communis quasi Magister, & Imperator omnium Deus. Ille huius legis inuentor, disceptator, & lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturā hominis aspernabitur, hoc ipso luet maximas pœnas, etsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerit.* Hæc ex Cicerone Lactantius, & similia Augustinus. Cæterum si cum Theologis, & Philosophis distinguamus ius à lege, & legem æternam à lege naturæ, & tollantur æquiuoca, nihil plane penitus ista nobis officiunt, nihil probant de immutabilitate iuris naturæ.

10 Iuris acceptiones per multæ quidem sunt, vt habetur l. *Ius pluribus* ff. de iust. & iur. Nihilominus, vt obseruat D. Thomas 2. 2. 57. 1. ad 1. *Ius primò impositum est ad significandum ipsam rem iustam.* Vnde Aug. in psalmum 145. *Ius est quod iustum est.* Et Isidorus 5. Æthim. c. 3. relatus à Gratiano c. *Ius Generale.* 1. dist. *ius dictum est, quia iustum est.* Idq. copiosè probat Arist. 5. Eth. c. 7. & eum sequuti omnes Peripatetici. Neq. secus sentiunt

Theo-

Theologi in materia de Iustitia,& Iure,in materia de matrimonio,& in materia de iustitia Dei,in quibus de iure, & de iure naturæ,ac positiuo multa disputantur. Ergo *si ius est,quod iustum est*,& vt cum Arist.inquit D.Thomas,*quod alteri debetur secundum æqualitatem proportionis*, quodq. vt omnes confitentur, est *obiectum iustitiæ*, aliud sanè erit ius,aliud lex, lex enim est, quæ imperat quod iustum est;Ius quod imperatur;lex;quæ constituit,& tribuit ius;ius, quod constituitur, & tribuitur a lege; ius,quod quis alteri debet;lex qua quis illud alteri debet; ac demum lex regula in mente,& ratione existens;Ius medium in rerum æqualitate, & proportione consistens. Hinc D. Thomas 2.2.57.1.ad 2.*Lex non est ipsum ius propriè loquendo,sed aliqualis ratio iuris.*Quod demum demonstrari potest per vtriusq.definitionem.*Lex.n.*ex D.Thoma 1.2. 90.4.& ex antecedentibus, *est quædam rationis ordinatio,siue regula quædam agendorum menti inhærens,qua quis ad agendum mouetur,vel ab agendo retrahitur,ab eo, qui curam multitudinis habet, propter publicum bonum promulgata.Ius autem* proprie(si colligamus,quæ de iure scribuntur)*est medium quoddam inter excessum, & defectum constitutum, æquale ei,cui tribuendum est, secundum proportionem vel Geometricam,vel Arithmeticam,ab aliqua lege, vel Diuina, vel humana, aut ab aliquo priuato condicto debiti rationē habens.*A lege ergò ius differt. Vsu tamen receptum est,vt etiam leges iura vocentur,nec temerè,scilicet si leges sunt,vel efficiūt, vel tribuunt,vel conseruant iustum, & ius. Quare sicut medicinæ dicuntur sanæ, quia efficiunt,& tribuunt, & conseruant sanitatem, sic & leges iustæ, & iura vocantur, quia efficiunt, tribuunt,& conseruant Iustum,& ius. Quare iustum,& ius est genus,quod Philosophi vocant ab vno, quod.s.primum prædicatur de vno,de alijs verò per relationem ad primum illud,& per participationem ipsius.

11 Ius autem ex prędecentibus bipertitò diuiditur, in naturale, & positiuum. Naturale est, quod non arbitrio hominum, sed ab ipsa sui natura habet, vt sit proportionatum ei,cuius est Ius, neque à placitis,aut à consuetudine hominum, sed ab ipsa recta ratione iuxta principia naturæ debiti rationem trahit. Hinc est,quod cum naturà homo mutabilis, & variabilis sit, etiam Ius,& debitum naturale secundum rectam rationem mutabile, & variabile est. Lactare sobolem est res Naturæ, & conseruationi speciei penitus debita,velint homines, nolint. At dum filij infantes sunt, & incunabulis, lac eis proportionatum, &

com-

commensuratum est. Num ergo etiam postquam adoluerunt? Non magis certè hoc eis iustum, proportionatum, & commensuratum est, quam iustę, proportionatæ, & commensuratæ eis sint, aut fasciæ infantum, aut cætera puerorum indumenta. Proinde, mutata naturæ conditione, mutatur, & Ius, improportionatumq; inæquale, & indebitum euadit, quod antę natura iustissimum, proportionatissimum, & summe debitū erat. Quid iustius, quid cum Parentum, & filiorum natura proportionatum magis, & commensurarum natura est, quam subiectio, & obedientia à parte filiorum, imperium, & regimem à parte parentum? Num ergo eadem semper? vbiquè? eodem modo? caue putes. Non ne alia subiectio, & alia obedientia natura proportionata, & cōmensurata est filio sub Patris potestate cōstituto; alia emancipato? alia Clerico, alia laico, alia Monacho, alia seculari Clerico? alia pub. negocijs occupato, alia ab eis libero? alia militię, alia domi? alia ad dignitatē Episcopalem, alia ad sæcularem aliquam assumpto? Quid si Pater insaniat, & familiam suam perditum eat? Viden quomodo mutata conditione hominis mutatur consequenter, & variatur proportio, & habitudo naturalis debiti, Iuris, & Iusti. Vnica dumtaxat vxor vni viro natura nunc proportione respondet. An etiam si vel orbis, vel Religio ad eas angustias redigerentur, ad quas olim? negant Doctores. Contra Naturę Ius sunt connubia fratrum cum sororibus, numquid ergo etiam ita ab initio fuit? nihil minus. Secretum seruandum est Iure Naturæ, an etiam si vergat in detrimentum Reip.? nequaquam. Iustissima sm. naturam instituta erat rerum communio, & omnium libertas; an etiam mutata conditione, & natura lapsa? falsum. Reddere poscenti depositum, iustissimum est, & summæ æqualitatis. An etiam si vel sibi necem, vel patriæ perniciem inde paret? iniustum penitus, & iniquum sm. naturam. Quid proportionatum magis, & iustum natura, quàm seruare iuramenta, & vota? Quot tamen in casibus hoc facere, esset Contra Naturam? Itaq; Iustum, & Ius naturale variatur pro variatione conditionis eius, cui est iustum, & Ius. Et certè etiam in numeris proportionalibus, à quibus ratio Iuris desumitur, addita, vel detracta vnitate ab alterutro terminorum proprotionalitatis, non manet in eis eadem proportio, sed mutat naturam speciem, & essentiam 8 ad 4. habet proportionem duplam, adde vel detrahe vnitatem ab alterutro; mutatur illa habitudo, & consequenter tota æqualitas, & medietas naturalis. Quare fingere omne

proportionatum, & omne Iustum naturale immutabile, cum re, quę natura est in plerisq; conditionibus mutabilis, omnino impossibile, & inexcogitabile, & hoc est, quod toties ab Arist. & a S. Thoma dictum, & repetitum est.

12 Sed quid ad Ciceronem, Firmianum, & Augustinum? Pugnat ne eorum sententia, vel cum Aristotele, & D. Thoma, vel cum veritate explicata, an vtraq; verà? Verissima vtraq; verumq; vero consonat. Cicero tum loco à Firmiano citato, tum in 2. de legibus omnium Diuinarum, & humanarum operationum primam, & summam regulam, & mensuram constituit, eam legem, quam ibi descripsit, & quam non temporaneam, sed æternam vocauit. Ante Ciceronem de eadem lege scripserat Plato in Timæo, & 10. de legibus. Inter Patres Augustinus permulta de illa in 1. de lib. arb. eamquè frequenter prouocat in libris cõtra Faustum Alensis, & D. Thomas Augustinum sequuti sunt, & istos omnes Scholatici. De hac Boetius 3. de consol. *ò qui perpetua mundum ratione gubernas*. Plurimum verò iuxtà D. Thomam, & cæteros differt æterna lex à lege Naturæ. Abstineo à multis, quæ de vtriusq; discrimine dici possent. Obuia s. quibusq; sunt in 1. 2. q. 91. 1. & 2. & q. 93. & 94. Hoc tantum dicam, quod per æternam legem infallibilem, immutabilem, & inuariabilem interpretamur, & limitamus ex epijkia præcepta secundaria legis naturæ (quæ per rationem, & discursum naturæ à nobis formantur) limitamus ea, inquam, ad mentẽ legislatoris Dei, & ad rationẽ, debiti & indebiti naturalis. Scilicet *lex æterna*, vt inquit Aug. 1. de lib. arb. c. 6. est, *qua iustũ est, vt omnia sint ordinatissima*, siue vt eã definit in 22. con. Faust. c. 23. *est ratio Diuina, vel voluntas Diuina ordinem naturalem conseruari iubens, perturbari vetans*. Quare dum certi sumus, quod quibusdam cum circumstantijs, si seruarentur communia illa præcepta legis Naturæ, quę deduximus tanquam conclusiones à principijs primis, perturbaretur ordo ipsius Naturæ, in quo cõsistit essentia iuris naturę, & naturalis deordinatio, & iniustitia sequeretur, quod est contra intentionem Dei explicatam per ęternam legem, illis in casibus, & cum illis circũstantijs, nõ esse seruanda, colligimus. Certum est quippe, quod *is committit in legem, qui verba legis complexus contra legis nititur voluntatem* de reg. Iur. in 6. concedimus ergo, Lactantium, & Augustinum dicere; *Legem æternam esse immutabilem, inuariabilem, indispensabilem*, cæteraq; id genus, hoc enim & dicunt, & verissimum;

mum est,at cũ D.Tho. & cũ omnib⁹ Theologis negam⁹,legem naturę esse legẽ illam ęternã quamuis ab ęterna illa lege deriuetur,& consequenter negamus,omĩb⁹ pręceptis legis Naturę cõpetere proprietates illas æternæ legis. Pendent nimirum à Iure Naturæ tanquam ab obiecto, & licet vniuersalia sint, eo variato,& deficiente eius ęquitate, non possunt non variari, non eneruari in aliquo particulari,& quibusdam cum circunstantijs. Immo hoc ipso, quod solam æternam Augustinus, & Cicero ex omnibus legibus immutabilem, cæteras mutabiles faciunt, & quid sentiãt de lege Naturę,satis declarant. Ac demum obseruandum est,quod non conuenit de indispensabilitate legis naturæ inter Dominum A. & D. B. Quicquid enim dicat D. A. eam dispensari non posse, admittit etiam plusquam petimus,& plusquam concedendum est D. B. ad calcem sui voti.

Explicatur, & Conciliatur sententia eorum, qui affirmant Ius Naturæ esse immutabile, & indispensabile, & soluuntur agumenta Francisci Suarez.

CAP. VII.

1 EXPLICATA sententia Aristotelis, & D. Thomæ de Iure Naturæ, deq; mutabilitate, & dispensabilitatæ præceptorum legis naturalis, superest explicandum, quid dicant, & quibus fundamentis innitantur Franciscus Suarez, & cęteri, quos D. A. citauit,qui omnia pręcepta legis Naturæ immutabilia, & indispensabilia esse, contendunt. Hoc enim declarato, planum erit, vniuersos in re conuenire, & in solis verbis omne eorum dissidium positum esse, & iuxta diuersa principia verissime, rectissimeq; vtramq; assertionem defendi posse. Et certè si sicut apud mathematicos definitiones terminorum ponerentur inter principia quæstionum Theologicarum, & supponerẽtur problematib⁹ Scholasticis tanquã notę,certè, inquã, inter Scholasticos non pullulassent,& pullularent quotidie tot opiniones, tot factiones,& partes tã varię,& inter se diffidẽtes, quot nullo Ecclesię bono videm⁹, hinc enim,ab ęquiuocatione s. terminorũ, vt plurimũ oriuntur. Exemplo hęc, quã extrico.

Actus hominum liberi,qui,& humani, & morales vocantur, qui s. eius bonitatis, & malitię capaces sunt, cui laudes,& vituperia, pręmia, & pœnæ debentur, à ratione,& discursu,proficiscuntur tanquam à regulante, & dirigente. Propterea omnis

I actus,

actus, qui procedit iuxta præscriptum rectę rationis, est moraliter bonus; malus è contra. Hinc D. Dionisius de Diu. Nom. c. 4. *Animæ malum est, esse præter rationem, corpori præter naturam.* Et Clemens Alex. lib. 1. Pędag. c. 13. *Quicquid est, præter rectam rationem, id est peccatum. Iam enim generales animi affectiones, seu perturbationes hoc modo definiendas censent Philosophi. Cupiditatem quidem appetitionem, quæ non paret rationi. Metum autem dissolutionem, quæ non paret rationi. Voluptatem autem elationem, quæ non paret rationi, &c.* Pulchrè Scotus in 1. sent. dist. 17. q. 2. *Sicut pulchritudo non est aliqua qualitas absoluta in corpore pulchro, sed est aggregratio omnium conuenientium tali corpori, puta magnitudinis, figuræ, & coloris, & aggregatio omnium respectuum, qui sunt istorum ad corpus, & ad se inuicem. Ita bonitas moralis actus est quasi quidam decor illius actus, includens aggregationem debitæ proportionis ad omnia, ad quæ debet actus proportionari, puta ad potentiam, ad obiectum, ad tempus, ad finem, ad locum, ad modum. Et specialiter, vt ista dictantur à recta ratione, debere conuenire actui. Ita quod pro omnibus possumus dicere, quod conuenientia actus ad rationem rectam est, qua posita, actus est bonus, qua non posita, quibuscumq; alijs conueniat, non est bonus.*

2. Porro Bonitas moralis itidemq; malitia duplex est, nempe ex genere, & ex circunstantijs. *Nomen circumstantiæ* inquit S. Tho. 1. 2. 7. 1. *ab his, quæ in loco sunt, deriuatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid circumstare, quod est quidem extrinsecum à re, tamen attingit ipsam, vel approppinquat ei sm. locum. Et ideo quæcumq; conditiones sunt extra substantiam actus, & tamen attingunt aliquomodo actum humanum, circumstantiæ dicuntur. Quod autem est extra substantiam rei ad rem ipsam pertinens, accidens eius dicitur. Vnde circumstantiæ actuum humanorum accidentia eorum dicenda sunt.* Bonitas igitur, & malitia ex circunstantijs sm. S. Thomam est bonitas, & malitia accidentaria actus, proinde quâ non constituitur actus in genere, aut boni, aut mali, sed quâ augetur tantum, minuiturue, aut bonitas, aut malitia, quam aliundè habet. Quod enim, inquit S. Doctor, facit actum aut bonum, aut malum, constituitq; eum sub hoc, aut sub illo genere, vel virtutis, vel peccati, hoc ei in genere moris accidentarium esse non potest, & ex consequenti, nequè circumstantię eius nomine venire. Idcirco duas istas regulas generales ponit. Prima. *Quandocumq; circumstantia transmutat actum de bonitate in malitiam, dat speciem actui* 1. 2. q. 18. a. 5. ad 4. Secunda.

Quando-

Quandocumq; aliqua circumstantia respicit specialem ordinem rationis, vel pro vel contra, oportet quod circumstantia det speciem actui morali, vel bono, vel malo ead. q. a 10. Vtramq; verò obseruari iubet Caietanus ad calcem eiusdem art. 10. & certè magni refert in hac nostra controuersia id obseruasse, vt in progressu patebit. Hinc est, quod si quis actus humanus bonus sm. se, vt dare eleemosynam indigenti, orare Deum, &c. fiat malus ex aliqua circumstantia, puta finis, vt si fiat propter vanam gloriam, circumstantia finis, non sumitur amplius, vt circumstantia, sed tanquam differentia obiecti specificans ipsum. Talemq; actum S. Doctor non appellat malum ex circumstantia, sed malum ex genere, *genus* tamen, ait, accipere se *pro specie, quemadmodum speciem humanam genus humanum appellare solemus*. ead. q. a. 2. Pari ratione vxorem ducere, pugnare propria manu, negociari, quorum nullum est de se malum, ex circumstantia personę malum si fiat, puta si coniugatus vxorem ducat; si clericus, aut pugnet, aut negocietur circumstantia personę specificat obiectum, & ideo persona sumitur non amplius, vt circumstantia, sed vt differentia obiecti, quæ reddit actum malum, hoc est disconuenientem agenti *malum* enim, vt dixi, *nihil aliud est quam quidpiam alteri disconueniens*. Rationem reddit S. q. 2. dę pecc. a. 4. *Nam si consideremus actum, inquantum est actus, bonitas eius est, vt sit quædam emanatio sm. virtutem agentis. Et ideo sm. diuersitatem agentium diuersimodè accipitur bonum, & malum in actibus*. Exemplo rerum naturalium rem explicat. *Nam hoc, quod est moueri sursum, si comparetur ad ignem, est bonus actus, quia est ei naturalis; Si autem comparetur ad terram, est malus actus, quia est contra naturam eius. Si verò comparetur ad corpus mobile in communi, sic non habet rationem, nequè boni, nequè mali*. Bonum igitur, & malum in actibus humanis sumuntur primò ex comparatione actuum, & agentium, ac ex conuenientia, & disconuenientia congruentia, & incongruentia eorum inter se. Vnde Scotus q. 18. quodlib. F. *Omne iudicium incipit ab aliquo certo. Primum iudicium de conuenientia non potest presupponere aliquam conuenientiam dictatam ab illo intellectu, quia tunc non esset primum. Presupponitur igitur aliquod certum, & non ab illo intellectu iudicatum, & huiusmodi est natura agentis, & potentia, sm. quam agit, & ratio quidditatiua actus. Ex ratione enim istorum quidditatiua concluditur; hunc actum esse conuenientem huic agenti secundum istam potentiam, vel disconuenientem, nullo præsupposito, nisi rationibus istorum ter-*

minorum. Immo tota mediocritas, in qua consistit ratio virtutum moralium, totus præterea excessus, atq; defectus, in quibus vitiorum essentia posita est, ex conditionibus agentium demetienda sunt. Aristoteles 2. Eth. c. 5. *Omnis sciens excessum vitat, atque defectum; medium autem quærit, & eligit, medium verò non rei, sed respectu nostri. Non .n. si cui 10. minas comedere, multum est, 2. autem, parum, Magister ludi sex eidem tradet; est enim fortasse, & hoc nimium aut parum illi, qui accepturus est. Nam Miloni parum est, incipienti verò exerceri nimium; simile est in cursu, & palestra.* Aristoteli verò comuniter Theologi subscribunt. Quare non possum non mirari eorum sententiam, qui cum Doctrinam S. Thomæ profiteantur, in consideratione bonorum, & malorum ex genere, rationem agentium, & conditionis eorum, putant, habendam non esse, opinanturq; quod ex genere alicui malum est, id omnibus malum esse, nulloq; pacto bonum cuipiam fieri posse. Quod si sentio, & scio, alienissimum est cum à veritate, tum à mente S. D. cum potius è contra potissima ratio bonitatis, & malitiæ ex genere, sumatur ex comparatione actus, & agentis, vt mox dico.

3 Itaq; 2. sumitur bonitas, & malitia moralis ex comparatione obiecti, siue materię, & actus, vt est talis agentis, atq; ex conuenientia, & disconuenientia eorum inter se. Vbi enim habemus, quod hic actus huic agenti conuenit, reliquum est, indagare, quęnam materia tali actui conueniat, vt est talis agentis. Iudicium verò de conuenientia, & disconuenientia huismodi pendet itidem à difinitonibus agentis, actus, & potentiæ, sm. quam agit. *Concludimus*, inquit Scotus eadem q. 18. *ex rationibus istorum trium, quid sit obiectum conueniens tali actui, vt est talis agentis. Puta de actu comedendi, quod conuenienter transeat super cibum restaurati[u]m deperditi, non autem super illud, quod non est natum esse nutrimentum, sicut lapis, vel aliquid huiusmodi, quod licet animali esset nutrimentum, non tamen homini.* Sic Deum non esse obiectum conueniens odio, iudicamus, sic loquutioni falsum, sic actui matrimoniali filiam, matremuæ eius, cui filiorum generationem conuenire existimamus aliaquè huiusmodi. Solam hanc bonitatem, & malitiam, quæ pendet à natura obiecti actus exterioris, Scotus appellat, bonitatem, & malitiam ex genere, cætera omnia, bona, & mala ex circumstantijs. Neq; hoc displicet S. Thomæ, vt videre est 1. 2. 20. 1. & alibi. Cæterum D. Thomas appellat etiam actum malum ex genere, actum interiorem voluntatis,

luntatis, quo fertur in actum exteriorem malum, siue actus exterior malus sit ex genere suo, siue ex circumstantijs. Ratio est, quia bonitas, & malitia ex genere sumitur ab ipso actuum obiecto, actus autem exterior est obiectum actus interioris voluntatis. Idcirco actus voluntatis, qui habet pro obiecto actum exteriorem bonum, non immeritò dicetur bonus ex genere, & vicissim malus ex genere, cuius obiectum est actus exterior malus. Sit autem actus exterior bonus, vel malus ex genere suo, suisuè ex circumstantijs, nihil refert. Hoc vnum quippe spectatur, sit ne bonus, vel malus, ad hoc vt specificet actum voluntatis, faciatq; quod voluntas dicatur bona, vel mala. *Bonus autem non est* ex Dionysio, *nisi constet ex integra causa: malus verò est propter singulares defectus.* Vnde benè dicit S.D. præd. q.19. a. 2. quod *velle facere bonum, quando non debet, non est velle bonũ.* Hinc sequuntur non nullæ conclusiones S. D. quæ Paradoxa facilè videantur, quales sunt illæ. *Bonitas voluntatis dependet à solo obiecto, non a circũstantijs. Velle orare, & facere eleemosynam propter inanem gloriam, est malum ex genere, non ex circumstantia. Supposito quod voluntas sit boni, nulla circumstantia potest eam facere malam.* Quæ tamen & exploratissimæ veritatis sunt, neq. ab vllo sano negata, si comparatio fiat inter actum interiorem voluntatis, & actum exteriorem tanquam obiectum eius. Tota autem bonitas, & malitia actus moralis, sicut dicebã, dependet à Iudicio rationis practicę, tanquam ab indice, iudice, & regula proxima omnium actuum humanorum. Nimirum vt inquit D. Thomas 1.2.q.19.a.3.ad 1. *Quanquam bonum sub ratione boni, id est appetibilis, per prius pertinet ad voluntatem, quam ad rationem, tamen per prius pertinet ad rationem sub ratione veri, quàm ad voluntatem sub ratione appetibilis. Quia appetitus voluntatis non potest esse de bono, nisi prius à ratione apprehendatur.* Quò pertinet illud eiusdem S. D. 1. 2. 71. 6.4. *Cum dicitur, quod non omne peccatum ideo est malum, quia est probibitum, intelligitur de probibitione facta per Ius positiuum. Si autem referatur ad Ius naturale, quod continetur primò quidem in lege æterna, secundario autem in naturali iudicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatũ est malum, quia est probibitũ.*

4 Cæterum actiones nostræ singulares sunt, & circa singularia versantur, neq; enim quis vel interficit hominem in genere, vel aliena in genere furatur, sed hunc hominem, istam rem. Idcirco altera ex duabus propositionibus, ex quibus ratio practica concludit particularem prosecutionem boni, & fugam mali

sem-

ſemper particularis eſt. Neq; verò ex puris particularibus quidpiam rectè colligitur: Propterea alteram ex ipſis vniuerſalem eſſe oportet e. g. Aliena res inuito Domino contrectanda non eſt. Veſtis hæc aliena res eſt. Ergo inuito Domino non contrectanda mihi. Dominis reddenda depoſita. Hoc ab N. depoſitum. Hoc ergo N. reddendum. Itaq; quod in particulari, vel agendum, vel cauẽdum nobis, ſemper eſt practicæ rationis concluſio. Leges vero iuxta S. Thom. 1.2. q.90.a.1. ad 2. nihil aliud ſunt, niſi *regulæ quædam communes actuum liberorum, quæ ingrediuntur rationem practicam tanquam maiores propoſitiones*, & q.91.a.3.ad 2. *Ratio humana ſecundum ſe non eſt regula rerum, ſed principia ei naturaliter indita ſunt regulæ quædam generales, & menſuræ eorum, quæ ſunt per hominem agenda, quorum ratio naturalis eſt regula, & menſura* q. 94. a. 1. Corp. *lex naturalis*, inquit, *eſt aliquid per rationem conſtitutum, ſicut etiam propoſitio eſt quoddam opus rationis*, & in 4. ſententiarum d. 33. q. 1. a. 1. *Lex naturalis nihil eſt aliud, quàm conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad conuenienter agendum in actionibus proprijs*. Et congruit cum D. Thoma, quod ſcribit S. Auguſt. lib. 83. qq q. 53. *Ex hac ineffabili, atque ſublimi rerum adminiſtratione, quæ fit per diuinam prouidentiam, quaſi tranſcripta eſt lex naturalis in animam rationalem, vt in ipſa vitæ huius conuerſatione, moribuſq; terrenis homines talium diſtributionum imagines ſeruent*. Et ideo eod. art. 1. q. 94. D. Thomas tenet quod *naturalis lex neque propriè eſt actus, neque propriè habitus, ſed principia, quorum eſt habitus, quem ſyndereſim appellamus*. Idque tuentur omnes Thomiſtæ. Eandem ſententiam tenet etiam S. Bonau. in 2. ſent. d. 39. a. 2. q. 1. ad vlt. neq. diſſentit Scotus ead. d. q. 1. Hoc ipſum tenet Alenſis 3. p q. 27. Henr. quodlib. 1. q. 18. omneſq. grauiores, & antiquiores Theologi. Et certe valdè miror, quomodo doctiſſimus, & accuratiſſimus Doctor Franciſcus Suarez lib. 2. de leg. c. 5. nu. 9. tribuat D. Thomæ, quod in 1. 2. quæſt. 94. art. 1. & 2. aſſerat: *legem naturalem eſſe vim quandam naturæ rationalis, quam habet ad diſcernendum inter operationes conuenientes, & diſconuenientes illi naturæ, quam rationem naturalem vocamus*. Cum reuera nihil magis alienum ſit à mente S. Thomæ, vt cuiq. legenti perſe patet. Sed quam explicaui, immò quam explicauit S. Thomas, communi Thomiſtarum conſenſu ea germana D. Thomæ ſententia eſt. Et præſertim Dominici Soto lib. 1. de Iuſt. q. 1. art. 1. & 4. vt cumq. pro ſua opinione eum ibidem ci-

tet

tet Suarez, à qua non minus diſtat, quam verum à falſo.

5 Suarez, & alij aliter, aliaq; ratione intelligunt legem naturę quam D. Thomas. Neq; melius explicari poſſe arbitror, ſententiam eius, quam ipſius met verbis; & ſunt hæc eodem c. 5. lib. 2. de leg. *Eſt ergo ſecunda ſententia, quę in natura rationali duo diſtinguit, vnum eſt natura, quatenus eſt fundamentum conuenientiæ, vel diſconuenientiæ actionum humanarum ad ipſam, aliud eſt vis quædam illius naturæ, quam habet ad diſcernendum inter operationes conuenientes, & diſconuenientes illi naturæ, quam rationem naturalem appellamus. Priori modo dicitur hæc natura eſſe fundamentum honeſtatis naturalis. Poſteriori autem modo lex ipſa naturalis, quæ humanæ voluntati præcipit, vel prohibet, quod agendum eſt ex naturali Iure.* Similia habet cap. 13. a. 2. vbi ait. *Ius naturæ prout eſt in homine, eſt intrinſeca proprietas neceſſario fluens à tali natura, quâ talis eſt*: Sumpta verò lege naturæ in hoc ſenſu (de cuius rectitudine, & proprietate non diſputo,) veriſſimum eſt, quod contra eam in nullo caſu quicquam licere poteſt. Primum, quia voluntas humana adeo addicta eſt dictamini, & regimini rationis, quam inpoſuit ei Diuina Prouidentia tanquam regulam, & menſuram omnium actuum ſuorum, vt eam nedum rectam, ſed vel errantem ſequi teneatur, quemadmodum cum communi docet D. Tho. 1. 2. q. 19. a. 5. 6. & alibi frequentiſſimè. Quare accepta lege naturæ pro ratione naturali, tantum à vero abeſt, legem naturę diſpenſari vnquam poſſe, quantum quod vllo in caſu, quis contra dictamen rationis rectè, aut agere, aut velle quicquam valeat. Neq; S. Thomas, neq; quiſquam aliter ſentit. Adde 2. quod limitatur ratio naturalis hic ad præcipiendum, & prohibendum quid agendum ſit, & cauendum ex Iure naturali. Quare præcepta, & prohibitiones rationis, & legis naturę, neq; latius patere poſſunt, quàm Ius naturale, neq; Ius naturale latius quàm præcepta, & prohibitiones rationis, & legis naturæ, ſed adæquata inter ſe, & mutuò conuertibilia ſupponuntur, ita tamen vt non præceptum Iuris, ſed Ius præcepti menſura, & regula ſit. Proinde nullus caſus fingi, aut cogitari poteſt, in quo, aut mutare, aut diſpenſare fas ſit, præcepta legis naturæ. Si enim dicas: *depoſitum eſt reddendum*; hoc præceptum, quia limitatur ad Ius naturale; dum vel Patriæ, vel Depoſitarij bono non congruat, reſtitutio, amittit rationem Iuris Naturæ, & conſequenter ad eum caſum, non extenditur præceptum de reſtitutione depoſiti, nequè pro eo intelligitur

ligitur latum. *Sic plures vxores ducendæ non sunt, non sorores! Secretum non prodendum. Votum reddendum. Conseruandum Ius iurandum* præcepta hæc, ex hypothesi, intelliguntur perpurgata, coarctataq; iam per rationem ad limites Iuris naturæ. Idcirco deficiente ratione Iustitiæ naturalis, & congruentiæ, ratio naturalis non dictat esse seruanda, & consequenter, neque dictat esse præcepta, nimirum talis materia cum talibus circumstantijs, non est propria materia illorum præceptorum, quia non habet rationem debiti. *Non occidendi innocentes, non contrectanda aliena inuito Domino*. Iusta naturalia sunt. Si tamen Deus pręcipiat, occidi illos, & contrectari ista, quia quicquid præcipit, hoc ipso quod præcipit, debitum est, aut ista contrectentur ex decreto, & mandato ministrorum Iustitiæ, quibus Iure naturæ obsequendum, ex appositis circumstantijs deficit ratio Iusti naturalis. Ideo neque ad talem casum, neque ad talem circumstantiam extendere potuit ratio naturalis præcepta sua. Propterea cum hac hypothesi verissimum est, quod vtcumque mutetur Ius naturale (quod est materia propria legis naturæ) ex conditionibus, & circumstantijs, quibus subiectum est; ipsa tamen pręcepta legis naturæ omnia perpetua sunt, immutabilia, indispensabilia, neque ex epijkia, aut declarationem, aut interpretationem vllam admittunt, per quam, aut limitari possint, aut dilatari, quia non supponuntur habere vim pręcepti, nisi existente, & persistente Iure naturę cum conditionibus, & cum circumstantijs Iuris, & debiti naturalis, videatur D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 10. & q. 89. a. 9.

6 Hoc autem idem penitus est, quod dicebat S. Thomas de pręceptis Decalogi, dum illa non accipiebat vniuersim, & in genere, sed coarctabat ea ad intentionem Dei, & ad rationem debiti, & Iustitiæ. Hæc est vera, & germana opinio Suarez, & cęterorum, qui tuentur indispensabilitatem, & immutabilitatem præceptorum legis naturę, vt latè, & copiosè explicat ipse cap. 1. & seq. eiusdem 2. libri de leg. Idque maximè obseruandum quia dum auditur *quod est de lege Naturæ, est indispensabile, & immutabile, etiam per diuinam potentiam, est bonum, vel malum intrinsecè, & ex genere*; permulti hesitant, terrentur, nec asserere audent, nonnulla, quę verè sunt de lege, & de Iure Naturę, esse talia, quia si pręcepta eorum accipiantur genericè, & vniuersaliter, mutari illa, & dispensari posse, certò sciunt. Si tamen assertio Suarez, & cęterorum penitius inspiciatur

ſpiciatur, quod ad rem attinet, eſt merum terriculamentum puerorum, ſoliſq; verbis differt ab opinione, & aſſertione priori S. Thomæ.

7 Summa igitur eſt, quod lex naturæ, vel accipitur pro ea virtute animæ rationalis, quę naturaliter regulat voluntatem, vel pro illis regulis naturalibus, & vniuerſalibus, quibus ratio vtitur in dirigendo, & regulando voluntatem. Primo modo citra controuerſiam eſt indiſpenſabilis. Si accipiatur pro regulis naturalibus, adhuc vel de primis principijs loquimur, aut de concluſionibus ab illis deriuatis. Primæ illæ regulæ communes indiſpenſabiles ſunt 2.æ verò dupliciter conſiderari poſſunt, vel vniuerſaliter, ſicut colliguntur per rationem à fine vltimo & à principijs communioribus, & per ſe notis, vel depuratæ ad rationem Iuſtitiæ, & debiti naturalis mediante diſcurſu, & comparatione cum alijs pręceptis naturalibus. Si ſumantur vniuerſaliter, & in genere, ſicuti prima ratiocinatione colliguntur, ſm. S. Thom. vbi deficit Ius Naturæ, mutari, & diſpenſari, & poſſunt, & debent, collineando eorum verba ad mentem Dei legislatoris. Coarctari verò, & limitari debent ſm. Suarez ad Ius naturæ, & ad rationem debiti, & indebiti. Si ſumantur limitatè, & coarctatè ad rationem debiti, & Iuſtitiæ naturalis, ſunt penitus immutabiles, & indiſpenſabiles, mutabilis tamen eſt, & alterabilis eorum materia, quę eſt Ius, & Iuſtum naturale poteſt enim ex appoſitione, vel diminutione conditionum, & circumſtantiarum, quæ ſunt ſubiectæ mutationi, viciſſitudini, arbitrio Dei, & hominum, mutare æqualitatem, & proportionem, fieriq; iuſtum de non iuſto, & de Iuſto non Iuſtum. Et in his aſſertionibus conueniunt omnes, nullo prorſus excepto, quare in ſolis verbis ęquiuocis omne diſcrimen, & omnis controuerſia poſita eſt. Hanc tamen difficultatem paucioribus ego ſic expedirem. Lex æterna, communi conſenſu, eſt regula, & menſura tàm legis naturæ, quàm omnium humanarum legum. *Hæc autem*, vt eam ſupra definijt Auguſt. *eſt voluntas Dei, quæ ordinem naturalem conſeruari iubet, perturbari vetat.* Ordine verò naturæ præcepta minora, maioribus cedere debent, & bona minora maioribus. Quare quod bona minora impediant maiora, & præcepta minora impedimento ſint pręceptis maioribus, hoc inordinatum eſt citra controuerſiam, & contra mentem Dei conſequenter, ac contra legem eius æternam. Dum ergo Pontifex, vel propter bonum

K maius,

maius, vel propter præceptum maius dispensit in bono, & in præcepto minori legis naturæ, nihil aliud facit, nisi quod exequitur legem naturę iuxta præscriptum legis æternę, quæ proprie loquendo cum I. C. non est dispensatio, sed æquitas, & epijkia, neque ad gratiam pertinet, sed ad Iustitiam, immo ad præstantiorem, & excellentiorem quandam Iustitiæ partem, vt post Philosophum 5. Eth. c. 10. tradit D. Thomas 2. 2. q 120. a. 2. & cum eo vtraq; Philosophorum, & Theologorum schola. Placuit tamen Diuo Thomæ hunc epijkiæ iustissimum actum vbiq; dispensationem appellare. Neq; mirum, nam dispensationis nomen nouum in Iure est, neq; priscis I. C. vsurpatum, satis autem accommodatum epijκię, vt probè explicat S. D. tū hic tum 1. 2. *96. 6.* & 2. 2. q. 88. 10. & 89. q. Epijκiam verò in præceptis legis naturæ admittunt post S. Thomam locis citatis cap. præcedenti Gaiet. ad eundem art. 2. Soto lib. 1. de Iust. q. 7. a. *3*. ad *3*. & lib. 10. q. *3*. a. 4. Nauar. cons. 4. de dispens. impub. Couarru. reg. peccatum §. 1. n. 7. Felin. referens alios in c. quę Ecclesiarum de const. n. *6*. & hoc sensu accipiendi sunt, qui in lege diuina naturali humanam dispensationem admittunt, vt Canus relect. de pœnit p. 5. Sancius lib. 8. de matrim disp. *6*. cum ibi citatis. Henriquez lib. 8. de Euchar. c. 13. Gloss. in c. à nobis de decimis ver. *exemptos*. Gloss. in l. manumissiones ver. *nascerentur*, & Gloss. 1. in l. Ius ciuile ff. de Iust. & Iur. Abbas in d. c. à nobis n. 4. & in c. cum tanto de consuetud. n. *3*. & c. quæ in Ecclesiarum de constit. n. 11. Felin. eod. c. n. 26. ibi Innocentius, & Canonistæ communiter. Angel. ver. Papa n. 1. & Nauar. item cons. 2. qui fil. sint legit. n. 8.

8 Franciscus Suarez, quanquam, vt dixi, verbis à nobis, & ab allegatis authoribus discordat, re tamen aut idem penitus dicit, quod nos, aut vix dissentit. Propterea eius sententia ex propriis iterū explicanda. In 2. de leg. a. c. *13*. ad 16. tractat de immutabilitate legis naturæ. Tenet vtiq; illam esse indispensabilem, & immutabilem, nulloq; pacto admittere epiiκiam. Sed cum his suppositis. Primum, quod lex naturalis est ratio recta, & naturalis. Secundum, quod lex naturalis dupliciter considerari potest, vno modo secundum se; prout recta ratione cōcipitur, vel dictatur 2 modo prout exprimitur certis verbis per aliquam legem scriptam. Tertium quod multa præcepta naturalia tam secundum se, quàm prout scripta sunt, in aliqua lege positiua, indigent multa declaratione, & interpretatione ad verum

rum sensum vniuscuiusq; statuendum. Et speciatim quia actus humani in honestate, & malitia multum pendent ex circumstantiis, & operationibus. Quibus suppositis, post multas tergiuersationes eod. c. 16. num. 16. tandem concludit *si præcepta naturalia spectentur, ut per legem positiuam constituta sunt, tunc recipiunt exceptionem epiikiæ, præsertim in ordine ad intentionem legislatoris humani, licet secundum se, & vt naturalia sunt, illam propriè non admittant.*

Id quidem mihi sat esset, qui disputo de preceptis legis naturæ, quatenus scripta sunt in lege positiua (sed Diuina) in qua satis apertè Suarez admittit epiikhiam, nihilominus dico, quod præcepta naturalia etiam secundum se, & quatenus naturali ratione dictantur, admittunt epiikiam. Nimirum munus epiikiæ, est collineare verba legis ad intentionem legislatoris. At ipse fatetur, quod precepta naturalia etiā secundū se, et prout naturali ratione dictantur, indigent multa declaratione ad verū eorū sensum eruendū. Ergo precepta naturalia etiā sm. se & pro vt à naturali ratione dictantur, admittunt epiikiā; eatenus enim eruitur verus eorum sensus, quatenus ex determinata intentione legislatoris Dei limitantur ad ius naturale, scilicet ad illas circumstantias, quibus cum solis, certi sumus, Deum nos obligare intendisse. Epiikia verò quidnam aliud facit? Quod autem præcepta legis naturę, etiam quatenus recta, & naturali ratione dictantur, admittant epiikiā, exempla ipsa demonstrāt. Præcepta de voto, & deposito per rationem naturalem sic colliguntur. Reddenda sunt omnibus debita. Depositum quà depositum, & ex natura sua, est debitum. Ergo depositum omne reddendum. Rursum. Debita omnibus sunt reddenda. Promissum quà promissum, ex vi fidelitatis est debitum. Ergo secundum se promissum omne reddendum. Votum secundum se, & per essentiam est promissio facta Deo. Ergo secundum se votum omne reddendum. Itaq; ratio naturalis, quæ fundatur super natura voti, & depositi, colligit rectissime obligationē vtriusq; genericam, & vniuersalem, quæ tamen fallit interdum, & exceptionem admittit ex circumstantiis. Argumenta opposita facile diluentur.

9 1. Argumentum. Precepta huius legis sunt, quædam propositiones necessariæ, quæ per necessariam consequentiam inferuntur ex principiis naturalibus. Sed huiusmodi propositiones in nullo indiuiduo possunt deficere, aut esse falsæ. Ergo non po-

„ test fieri per aliquam interpretationem, vt liceat facere, quod
„ illa prohibetur, quia est intrinsecè bonum, & per se necessariū
„ ad honestatem.

Respondet D. Thomas 1. 2. 94. 4. & 5. & cum eo Dominicus Soto, & Medina. Minorem falsam esse in conclusionibus remotis, & per rationem naturalem deductis a primis principiis, quę tantummodo verę sunt, vt in pluribus, sicuti tot exempla de iuramento, de voto, de deposito, de secreto, &c. com monstrant. Possumus verò nos negare etiam maiorem, quæ non est simpliciter, & vniuersaliter vera, vt cap. 5. explicatū est. Quando inquit (Quod prohibetur est intrinsece malum, quod pręcipitur est intrinsecè bonum, & necessariū ad honestatem. Ergo &c.) Respondendum pariter, esse verum hoc, vt in pluribus (in eisdem conclusionibus persistendo) non semper, non cum omnibus circumstantiis, non ex genere.

10 2. Argumentum. Veritas principiorum non potest subsistere
„ sine veritate conclusionum. Principia sunt necessaria ex termi
„ nis, & perpetuæ veritatis. Ergo & conclusiones.

Respondeo secundum S. Thomam (quamuis maiorem negaret Gaietanus 1. 2. 100. 8.) verum esse, quod principia non possunt esse vera, nisi sint verę conclusiones, quæ necessario ab illis deriuantur. Si enim neget quis, verum esse, quod vota, & deposita sunt reddenda, negandum ei consequenter esset, quod vnicuiq; debita sunt reddenda, quod est principium, vnde cōclusio illa deriuatur. At negat D. Thomas, reperiri æqualem necessitatem in conclusionibus remotis, quæ & in principiis. Sequitur enim, & necessario sequitur. Quod si omnibus reddenda sunt debita, reddenda etiam sunt vota, & deposita. At non sequitur. Aliquando vota, & deposita non sunt reddenda. Ergo debita aliquando non sunt reddenda. Quia depositum ex circumstantiis potest amittere rationem debiti, & iuris, immò etiam fieri indebitum, & iniustum, sic votum, sic secretum, & ideò ex negatione, & fallentia conclusionis in aliquo particulari, non sequitur negatio, & fallentia principij, vnde deducitur. Addere præterea possumus, quod maior est vera, vtiq; de conclusionibus necessariis, falsa de probabilibus. Probabiles tamen permultas admittere legem naturę eod. cap. 5. probatum est.

11 3. Argumentum. (Quod necessariò colligitur ex principiis
„ per se notis nunquam potest esse falsum: ergo non potest esse

irra-

irrationabile, vel imprudens. Sed omne iudicium legis natu- "
ralis tale est, vt sit vel de principiis per se notis, vel ex illis ne- "
cessariò inferatur. Ergo quantumuis res varietur, iudicium "
legis naturalis variari non potest. Confirmatur. Quia epikia "
est emendatio legis, seu iusti legalis, lex naturalis non potest "
emendari. Ergo lex naturalis non admittit epiikiam. Pro- "
bat minorem. Recta ratio deficere non potest (si enim non de "
ficit) iam non est recta. At lex naturalis posita est in recta ra- "
tione. Ergo lex naturalis deficere non potest, & per conse- "
quens nec emendari. "

Respondeo, lex naturalis, etsi in ratione naturali consistit, non est tamen ipsa ratio naturalis, sed, vt inquit D. Thomas, est aliquid constitutum per rationem naturalem, & vniuersim est collectio illorum principiorum naturalium, & vniuersaliũ, quibus ratio naturalis vtitur tanquam maioribus propositionibus ad rectificandum, & regulandum per discursum omnes actus humanos. Tota collectio preceptorum coniunctim, neq; deficere, neq; emendari potest. At si considerentur ab inuicem separata, vnuimquodq; eorum secundum se, negare non possumus, quin pleraq; ipsorum deficere, & emendari possint. Dum enim concurrunt, ex æternæ legis decreto cedunt minora maioribus, & deficiunt, quæ sunt viribus inferiora, dum eis maiora, & superiora obsistunt. Etsi verò modo ista, modò illa præcepta legis naturæ deficiunt, & emendantur, non tamen deficit, & emendatur ipsa ratio naturalis, quin verius ipsa correctrix, & emendatrix eorum est iuxta præscriptum æternæ legis, quantum est de se manens ipsa inemendata, & recta. Habet propterea se ratio naturalis ad legem naturæ iuxta D. Thomam tanquam Iudex, & lex æterna ad rationem naturalem tanquam suprema regula iudiciorum eius, & ideo 1. 2. 71. 6. 4. loco supra citato, dicebat. *Cum dicitur, quod non omne peccatum est malum, quia est prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per ius positiuum. Si autem referatur ad ius naturale, quod continetur primò quidem in lege æterna, secundariò autem in naturali indicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est malum, quia est prohibitum*. Quando igitur inquit, quod necessariò colligitur ex principiis naturalibus, non potest esse falsum. Verum est, inquit D. Thomas, vt in pluribus, falsum, vt in paucioribus legislator autem non respicit ea, quæ fiunt rarò, sed quæ vel semper, vel vt in pluribus. Negamus preterea, quod omne iudicium

cium legis naturæ, sit vel de principiis per se notis, vel ex illis necessario inferatur, nam & conclusiones probabiles inter præcepta legis naturæ locum habent.

12 4. Argumentum. Quod est per se malum, semper vitandum
„ est. Quod est per se necessarium ad honestatem, semper faciē-
„ dum est. Præcepta legis naturę, aut illa bona iubent, aut ista
„ mala vetant. Ergo nunquam deficere possunt.

Respondemus. Falsam esse minorem, si absq; vlla exceptione intelligatur; nam præcepta legis naturæ etiam ea bona iubent, & ea mala vetant, quę tantummodo, vt plurimnm necessaria sunt ad honestatem, & ius naturale non solum pendet à bonitate, & malitia ex genere, sed ex circumstantiis, quæ variationi, & vicissitudini subiecta est. D. Thomas in disputatis q. 1. de Potentia Dei a. 6. ad 4. & 1. par. sum. q. 19. a. 6. ad 1. *nihil prohibet,* inquit, *aliquem actum, qui ex se esset peccatum mortale, aliqua circumstantia, addita, fieri virtuosum. Occidere enim hominem absolutè mortale est: Sed ministro Iudicis propter Iustitiam occidere hominem ex præcepto Iudicis, non est peccatum; sed actus Iustitiæ.* Et quicquid dicat Suarez præd. c. 16. cogitur confiteri, posse ex circumstantiis fieri licita, & polygamiam, & connubia inter fratres & sorores, quorum vtrumq; est pręceptum morale negatiuum, neq; aliter sentiunt Duran. in 1. d. 47. q. 4. Maior in 2. d. 17. q. 10. qui adiici iure debent Doctoribus paulo ante citatis pro dispensatione, & epiikia. Stat igitur, falsum esse, quod lex naturę quo ad pręcepta secūdaria remota à primis principiis, non possit interdum deficere, & emendari, etiāsi secundū se considerentur, quantò magis quatenus explicata sunt per legem positiuā? quod ipse concedit. Dabit ergo id nobis D. A. opinor, qui fundamenta causæ suæ iacit in sententia P. Suarez.

Quid sint præcepta moralia, & quomodo differant à ceremonialibus, & iudicialibus.

CAP. VIII.

1 VEritate duce, emersit iam, & euasit disputatio nostra é scopulis, & syrtibus quæstionum legis, & iuris naturæ, idcirco ad ea, quę reliqua sunt, faciliorem, & securiorem cursum pollicētur. Sed antequam quæ de hoc iure explicata sunt ad quæstionem nostram præcipuam applicentur, non nihil dicendum de natura præceptorum moralium, & explicandum, qua ratio-

ratione à cęremonialibus, & à iudicialibus differăt. In hoc enim in quo nerui quæstionis nostræ positi sunt, apertè video, attigisse veritatem non omnes, qui de hac nostra cõtrouersia scripserunt. Omne præceptũ, quod est de iure naturæ, siue ad Deum pertineat, siue ad homines, est præceptum morale. Quod est, de iure positiuo, si ad Deum attinet, cæremoniale, si ad homines, iudiciale. Ita cum Diuo Thoma mox citando sentiunt omnes Theologi. Quare tam per definitionem iuris naturæ, quam per definitionem iuris positiui, facile secerni possunt moralia à cæteris, & ista ab illis vicissim. Hinc Diuus Thomas prima secundę 100. 11. *Præcepta iudicialia, & cæremonialia ex sola institutione vim habent, quia antequam instituerentur non videbatur differre, vtrum sic, vel aliter fieret. Sed præcepta moralia ex ipso dictamine rationis naturalis efficaciam habent, etiamsi nunquam in lege statuantur*. Præcepta positiua, quę antequam lege statuantur, nihil differt vtrum sic, vel aliter fiat, S. D. appellat determinationes præceptorum communium. Quæ verò habent aliquid vigoris ex lege naturali, vocat conclusiones pręceptorum communium. Ita explicitè, & clarè docet, accipere se hosce duos terminos; determinationes, & conclusiones 1. 2 95. 2. & alibi frequentissimè. Propterea non licet inferre: *Hoc præceptum est de re, aut actione determinata, & peculiari spectante ad cultum diuinum. Ergo est determinatio cæremonialis, & præceptum cæremoniale*, nam si ea res habet aliquid vigoris ex lege naturæ, neq; penitus arbitraria est, non venit nomine determinationis, aut pręcepti cæremonialis, sed nomine conclusionis, & præcępti moralis. Exemplis plana res fiet. Sacrificare est quędam actio determinata ad cultum Diuinum, nihilominus sacrificium in genere esse præceptum morale, & de lege naturæ asserit 2. 2. 85. 1. & quod iure naturę Deitati soli debeatur, docet tam ibi quam 3. con. gen. c. 119. & 120. idquè est de fide. Oblationes & ipsæ planè, sunt res determinatæ ad cultum Diuinum, ad oblationes tamen teneri homines iure naturæ, & pręcepto morali asserit 2. 2. 86. 4. Quia rediguntur ad cultum Dei tanquam conclusiones, annumerat præceptis moralibus istec pręcepta, quæ sequuntur 1 2. q. 100. a. 11. *Non inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam suam ducens per ignem. Non sit maleficus, nequè incantator, neq; Pythones consulat, neq; Diuinos, & quærat à mortuis veritatem*. Nonne ad cultum Dei spectant pręcepta de festo? de reddendis votis? de docendo filios legem Dei?

Dei? de benedicendo Deum post mensam? de sacrificãdo Deo soli? quod sacra omnia ad solum ius pertineant Sacerdotum? de offerendis Deo Decimis,& Primitiis? Quod soli Sacerdotes sacrificium offerant? de non iurando per Idola? de non sollicitando quenquam ad cultum Idolorum? de non diligendo, nequé miserendo talis suasoris? quod alienigena non degustet cõsecrata? de non blasphemando? de non docendo falsa? aliaquè permulta. Omnium tamen consensu omnia (vno tantum aut altero excepto, quod controuertitur) sunt moralia. Quare determinationes morales, nempe quæ habent aliquid vigoris ex lege naturali, vtcumq; ad Deum pertineant, & ad cultum eius, non appellantur, aut ab alio quocumquè pręcepta cęremonialia, aut à S. D. determinationes, sed conclusiones pręceptorum communium, & præcepta moralia.

2 Illę autem ei veniunt nomine determinationis, & præcepti cęremonialis, quæ sunt simpliciter de iure positiuo. Hinc q. 100. a. 1. *Moralia à cæremonialibus, & iudicialibus sunt distincta; moralia enim sunt de illis, quæ secundum se ad bonos mores pertinent. Cum autem humani mores dicantur in ordine ad rationem, quæ est proprium principium humanorum actuum; illi mores dicuntur boni, qui rationi congruunt, mali autem, qui à ratione discordant.* Et q. 100. a. 1. *Præceptorum cuiuscumq; legis quędam habent vim obligandi ex ipso dictamine rationis, quia naturalis ratio dictat; hoc esse debitum fieri, vel vitari. Et huiusmodi præcepta dicuntur moralia, eo quod à ratione dicuntur mores humani. Alia verò præcepta sunt, quæ non habẽt vim obligandi ex ipso dictamine rationis, quia s. in se considerata non habent absolutè rationem debiti, vel indebiti, sed habent vim obligandi ex aliqua lege diuina, vel humana, & huiusmodi sunt determinationes quædam moralium præceptorum. Si igitur determinentur moralia præcepta per institutionem Diuinam in his, per quæ ordinatur homo ad Deum, talia dicentur præcepta cęrimonialia. Si autem in his quæ pertinent ad ordinationem hominum ad inuicęm, talia dicentur præcepta iudicialia.* Et hac re, in doctrina S. Thomæ, nulla protrita, & peruulgata magis, eiquè subscribunt communiter omnes. Propterea sicut in actionibus ad Deum non omnis determinatio est cęremonialis, ita neq; in attinentibus ad proximum omnis determinatio est iudicialis, sed permultæ morales, illæ nimirum, quæ habent aliquid vigoris ex lege naturali, & rationi naturali congruunt tanquam conclusiones. Talia sunt. *Coram cano capite consurge, & bonora personam senis. Non stabis con-*

tra sanguiné proximi tui, ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Non erit meretrix de filiabus Israel, neq; fornicator de filiis Israel. Hęc omnia S. Doctoris sententia eod. a. 11. aliaq; permulta moralia sunt, vtcumq; sint præcepta de actibus certis, & determinatis erga proximum. Has igitur S. D. non vocat determinationes, sed conclusiones præceptorum communium; quę autem nihil vigoris habent a lege naturali, sed totæ arbitrariæ sunt, eas appellat determinationes. Et sumit similitudinem ab arte ędificatoria, quæ formam domus determinat ad hanc, vel ad illam figuram domus pro arbitrio cuiusq;, qui aut ædificare facit, aut ædificat, & modo habeat domus, portas, fenestras, parietes, tecta; nihil ad artem refert, an rotunda, an quadrata sit, an triangularis; nihil an habeat solaria, coquinam, horrea, cellam vinariam, aliaq; huiusmodi; hoc enim iuditium non pertinet ad artem, sed eorum interest qui ædificare faciunt. Et ideo pro diuersitate statuum, conditionum, voluntatum, arbitriorum vbiq; domus diuersæ sunt. Talia sunt præcepta positiua, quæ propterea ab Aristotele comparantur mensuris, quæ vbiq; diuersæ sunt, quia nihil interest maiores sint ne, an minores, cum æqué maioribus, ac minoribus suum quibusq; benè tribui possit: idcirco nulla mensura per rationem naturalem determinaté dictatur. Hoc igitur est essentiale discrimen inter præcepta moralia, & positiua, siue iudicialia sint, siue cæremonialia.

3 Ac vt semel finiam, dico, quod pręcepta moralia non sunt necessario omnia de actibus, qui de sui natura ita mali sint, vt seclusa prohibitione positiua nunquam possit in eis deficere ratio malitiæ, & prohibitionis, vt Aduersarij volunt, nihil magis alienum à doctrina S. D. & à veritate ipsa sumo tria præcepta moralia de fornicatione, voto, de iuramento. Fornicationem ideo malam probat S. Thomas 2. 2. 54. 2. quia est contra bonum prolis educandæ. Statim verò subdit. *Nequé obstat si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter prouideat proli de educatione, quia id quod cadit sub legis determinatione, indicatur secundum id, quod communiter accidit, & non secundum id, quod aliquo casu potest accidere.* & in 3. con. gen. c. 122. *Non autem huic rationi obstat, quod aliqua mulier suis diuitiis potens est, vt sola nutriat fœtum, quia rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea, quæ per accidens contingunt, sed secundum ea, quæ communiter totam speciem consequuntur.* Istum Ferrariensis, illum Gaietanus propugnarunt. Videndum pręterea est Richar. in 4. d. 33. a. 2. q. 1.

& 2. De voto 2. 2. q. 88. a. 10. *Lex ponitur respiciendo ad id quod est vt in pluribus bonum, sed quia contingit, huiusmodi in aliquo casu non esse bonum, oportuit per aliquem determinari, illo particulari casu, legem non esse seruandam, & hoc propriè est dispensare in lege.* Hoc ipsum scribit de iuramento q. 59. a. 9. expressissimè 1. 2. 96. 6. *Omnis lex ordinatur ad communem hominum salutem, & in tãtum obtinet vim, & rationem legis. Secundum verò quod ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet,* & mox. *contingit autem multotiens aliquid obseruari communi saluti esse vtile, vt in pluribus, quod tamen in aliquibus casibus est maximè nociuum. Quia igitur Legislator non potest omnes, & singulares casus intueri, proponit legem secundum ea, quę vt in pluribus accidunt, ferens intentionem suam ad communem vtilitatem. Vnde si emergat casus, in quo obseruatio legis sit damnosa communi saluti, non est obseruanda.* In responsione verò ad 3. dicit quod *etsi posset legislator omnes casus considerare, non oporteret, ut omnes exprimeret propter uitandam confusionem, sed legem ferre deberet, secundum ea, quę in pluribus accidunt.* Non propter ignorantiā casuū, sed propter secundam hanc rationem, Præcepta Diuina moralia in genere lata sunt, etsi quandoquè deficiant. Et ita intelligunt præcepta moralia, omnes qui in eis epiiKiam admittunt, & speciatim Suarez, qui ingenuè illam admittit in lege naturæ, quatenus explicatur per aliquam legem positiuam. His declaratis, quibus tolluntur aut omnia, aut ferè omnia argumenta Aduersariorum, & assertionis meæ fundamenta firmissima iaciuntur, accedo iam ad demonstrandū, quod negociatio mercimonialis est prohibita Clericis iure naturæ, & quod hæc prohibitio est moralis, non cæremonialis.

Negociationem mercimonialem Clericis prohibitam esse iure naturæ, & praecepto morali propriissimè accepto.

CAP. IX.

1 PRima principia rationis practicę sunt vltimi fines (non vltimi simpliciter, sed in suo genere, vt benè notat Gaiet. 1. 2. 94. 1.) Quare vt sciamus quid dicendum sit de iure naturæ in hac controuersia, sumendi primò sunt finis Clericatus, & finis negociationis. Mox vtriusq; media, & inspiciendum congruāt ne sibi inuicem, conueniantq; an repugnent. Finis Clericatus (etiam seclusa fide) est tribuere Deo maximum illud seruitium, & summum illum honorem, quem pro sua ipsorum facultate

cultate

cultate, & pro suarum capacitate rerum, vti summo, Domino vti primo, & perfectissimo enti, vti summo bono debent ei mortales. Finis negociationis est facere questum, & lucrum pecuniarium. Media, quibus Clericus assequitur finem suum, sunt sacrificia, Orationes, Doctrina, & Sapientia. Est nimirum primarium, & proprium munus Religiosi, etiam ex iure naturæ continere homines in vero cultu Dei, & docere eos veram *θεοσέβειαν*, Medium immediatum, quo negociator suum finem assequitur, vnum est scil. carius quàm emit, vendere proximo res temporales, quibus indiget. Mediata media sunt, emere vilius, contrahere, comportare hinc, illuc merces, curare ne quid detrimenti capiatur, à loco, à tempore, à personis, ab instrumentis, ab omnibus deniquè, quoad possibile sit, compendia quærere. His explicatis facile per se coniectare vnusquisq; potest, sit negociatio Clericatui naturà, vel bona, vel mala, vel indifferens, congruat nè, conueniat, an non, & an hęc prohibitio sit de iure naturæ, an de iure omnino positiuo, & quanti valeat argumenta voti mei, quæ ibi inuolutè, strictimq; allata, vel indicata potius, hic tantisper latius, & copiosius explicanda sunt.

2 1. Ius Positiuum est, quod antequam lege constituatur, nihil omnino refert, vtrum constituatur, an non. Sed quod Clerici negociationibus non implicentur, non nihil, sed magni refert ad finem propter quem Clericatus institutus est. Ergo negociatio nòn prohibetur Clericis iure simpliciter positiuo.

Maior Aristotelis D. Thomę, & omnium Theologorum, & Philosophorum consensu vera est, & probata supra. Minorē probant Christus, Paulus, Salomon. Christus: *non potestis Deo seruire, & Mammonæ.* Paulus: *nemo militans Deo implicat se negociis sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Salomon: *Difficile exuitur negociator à negligentia, & inter medium emptionis, & venditionis angustiabitur peccatis.* Omitto Patrum, & Philosophorum dicta in hanc sententiam, ne lumen soli mutuare videar.

3 2. Quæ prohibētur, quia secundum se mala sunt, ea sunt de iure naturæ: Clericis prohibetur negociatio, quia eos negociari secundum se malum est. Ergo hæc prohibitio est de iure naturæ. Maior supra copiosè probata est, probatur minor.

Bonum sub ratione boni, & malum quatenus malum, non dicunt quid absolutum, vt nonnulli putare videntur, sed dicūt ens cum relatione ad alterum; bonum cum relatione perfectiui, & congruentis, malum cum relatione impedientis, & incon-

guentis. Et hæc abundè supra probata sunt cap. 5. Vnde S. Thomas ibidem citatus dicebat quod *omne illud, quod reddit actionem, inconuenientem fini, quem natura ex ea operatione intendit, siue illum impediat totaliter, siue aßecutionem eius difficiliorem reddat, minusquè decentem, id omne est contra naturæ ius*. At seclusa quacumq; prohibitione, & omni arbitrio humano, negociatio secundum se, & ex sui natura aut totaliter impedit, aut saltem difficiliorem reddit seruitutem Dei, quæ est finis proprius, & naturalis, propter quem ministri Religionis instituti sunt. Ergo negociari secundum se Clericis malum est. Et per consequens iure naturæ prohibitum. Minorem supra probaui. Neq; eam negare audent Aduersarij, qui propterea confugiunt ad negociandum per tertiam personam de qua mox.

4 3. Ea quæ deriuantur à primis principiis legis naturæ per se notis tanquam conclusiones, & habent cum illis necessariam connexionem, ea inquam, sunt, quam maximè de lege naturæ. Prohibitio negociationis, qua de agimus, habet necessariam connexionem cum illo primo principio agendorum. *Ius suum cuiq; tribuendum*. Ergo propriissimè est de iure, & de lege naturæ. Maior propositio supra explicata satis, & comprobata est. Probatur Minor.

5 Eius honoris, & seruitutis, quę ex Religione redduntur Deo, debitores sumus ex iustitia distributiua. Religio scilicet iustitiæ distribuentis species est, vt docet S. Augu∫t. 19. de Ciuit. c. 21. S. Thom. 2. 2. 81. S. Bonauent. in 3. d. 9. q. 3. Scotus ead. d. q. 1. & omnes communiter. Ergo si quod cuiq; iustitia tribuit, id ius eius est; consequitur, vt etiam ius Deitatis sit, quod ei ex Religione tribuimus. Ius debet esse proportionatum, & commensuratum cum eo, cuius est Ius, vt supra probatum est. Ergo, & pro facultate nostra, & pro capacitate rerum, & actionum nostrarum, quicquid Deo tribuimus, Maiestati eius proportionatum, & cōgruum esse debet. Dixi pro facultate nostra, & pro rerum nostrarum capacitate; nam, vt inquit Aristoteles *Nullus Deo pro dignitate retribuere potest, sed qui pro facultate id agit bonus esse videtur*. Bene proinde D. Thom. 2. 2. 87. 5. 3. *Æqualitas, iuxta quam tribuimus Deo ius suum, non est æqualitas simpliciter, sed secundum quandam considerationem humanæ facultatis, & diuinæ acceptationis*. Et Scotus in 4. d. 46. q. 1. ad 1. *Qualis potest esse Domini excedentis valde ad seruum excessum, talis est æqualitas, in qua consistit iustitia hominum erga Deum*. Proportio in 4. terminis

nis consistit, quorum 3^9. ita se habet ad 4^m. vt ad 2^m. primus e. g. vt 4. ad 8. ita 3. ad 6 Si verò non ita habeat se 3^9. ad 4^m. vt primus ad 2^m. impossibile est, ibi esse proportionem. Hæc ex Euclidis 5. & ex materia de Iustitia & iure nota sunt. Primus ergo terminus nostrę distributiuę proportionis (siue malimus cum recentioribus proportionalitatis) Deus est à nobis honorandus. 2^9. homines quouis nomine, & titulo honorabiles. 3^9. honor, qui Deo tribuendus est. 4^9. honor, qui hominibus excellentibus debetur. Igitur si proportio constituenda sit, oportet, vt pro facultate nostra, & pro capacitate rerum, sicut habeat se Deus ad quoscumq; homines quocũq; nomine, & titulo honorabiles, ita habeat se (pro facultate nostra, repeto, & pro rerum nostrarum capacitate,) habeat, inquam, se honor, qui reddendus est Deo, ad honorem, qui hisce hominibus excellentibus redditur. Tolle hanc similitudinem rationum, proportionem remanere, impossibile; proportio .q. essentialiter est rationum, & habitudinum similitudo. Ablata proportione, quicquid tribuis, iniustum est, & iniquum omnium consensu. Hinc colligitur, quod quia Deus comparatus ad quoscumq; mortales, habet rationem primi, optimi, maximi, perfectissimi, prima quoq; optima, & maxima quæq; ei debeantur iure naturę. Et hanc ob causam iuxta veteres, qui translationem 70. sequuti sunt, sacrificia Caimi reiecit Deus, quia *etsi rectè obtulerat, non rectè diuiserat*, h. e. non seruauerat in diuisione proportionem, vt Deo segregaret, quæ maiestati eius secundum analogiam respondebant; sicuti fecit Abel. Cum ergo Deus perfectissimus sit, etiam perfectissimo modo erit colendus, & honorandus. Atqui imperfectiori modo colitur Deus à Clericis mercimoniis, negociationibus, & nundinationibus implicatis, quàm à liberis; immò nec perfectè, quin verius nè benè quidem coli potest à Clerico negociatore, vt dixit Christus, & nemo negare potest. Igitur si negociatio, aut tollit, aut minuit perfectionem seruitutis, quæ Deitati debetur, corrumpit consequenter congruentiam, analogiam, & proportionem, quę esse debet inter cultum Dei, & Deitatem; tanquam inter ius, & id, cuius est ius. Ablata verò, & corrupta proportione, quicquid fit, quicquid tribuitur, iniustum est, iniquum, & peccaminosum. Clericum ergo negociari secundum se malum, iniquum, & iniustum est. Habet igitur conclusio hęc necessariam connexionem cum primis principiis legis naturæ per se notis. Nam

alterum

alterum é duobus fatendum est, nempe vel negociationem Clericis prohibendã, vel non esse tribuendũ cuiq; ius suum. Si enim cuiq; & Deo infert August. c. 21. supra citato. Si Deo ius, & Deo proportionatũ, si proportionatũ, perfectissimum, si perfectissimũ non certè diminutum, implicatum, intricatum mundanis nundinationibus, & negociationibus, quæ per se nullam honestatem annexam habent. Propterea ne propter necessitatem temporalibus negociationibus implicatus, Deo iustè, vt par est, Clericus seruire non posset, eius vsibus tanquam militiæ suæ stipendium, bona sacra, Deiq; propria ipsemet Deus constituit. Ne (sicut inquit Ambrosius de dignit. Sacerd. c. 4.) *Lucri cupiditate teneatur obnoxius, sed stipendiis, tantum Ecclesiæ suæ contentus, penitus non ambiat quæ intelligit esse superflua, sed de ipsa potius paupertate Ecclesiæ suę libenter impertiat pauperibus Christi.*

6 Plato in 8. de legib. *Duas*, inquit, *artes, aut studia duo diligenter exercere humana natura non potest. Nemo etiam satis potest arti quidem vni vacare, & alterius artis opifici præsidere.* Idq; lege firmatum vult in Rep. benè instituta. Rationem reddit in 2. de Iusto. *Quia si quis opportunitatem alicuius operis præterit, perit ei opus. Non enim quod faciendum est, facientis otium expectare vult; sed necessitas cogit facientem, obseruata semper occasione, opus ipsum persequi. Ex his patet, singula fieri, & plura melius, & facilius, quando singuli singula sm. naturam, occasione seruata, ab alijs cessantes efficiunt.* Et ideo in 8. de leg. loco precitato, primò lege sanciri iubet. *Nullus ciuis opificio vllo detineatur. Arte enim magna, quæ longa exercitatione, multisq; doctrinis indiget, occupatus est ciuis, cum communem ciuitatis ornatum procuret, quæ res non leui quadam opera contenta est, sed præcipuum studium exigit.* Quod si hoc censuit Plato de ciuili, & rectè, quid, quęso, dicemus nos de sacro ministerio, quod, & maiorem artem requirit, & longiori exercitatione, pluribusq; doctrinis eget? & quod maius est, totum exigit hominem, magisq; mente, & animo quàm corpore exercetur? Hoc argumento vtitur S. Ambrosius in Commentariis ad locum explicatum 2 ad Timo 2. ibiq. putat, hoc ipsum respexisse Apostolum ea similitudine militiæ sæcularis *Ecclesiasticus*, inquit, *idcirco Deo se probat, vt huic deuctus officium impleat, quod spopondit in Dei rebus sollicitus, à sęculari negocio alienus; non enim conuenit, vnum duplicem professionem habere* & 1. offic. c. 36. *Non te implices negocijs sæcularibus, quoniam Deo militas. Etenim si is, qui Imperatori militat, à susceptionibus litium,*

actu

actu negociorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus, quanto magis qui fidei exercet militiam, ab omni vsu negociationis abstinere debet, agelluli sui contentus fructibus, si habet, si non habet, stipendiorum suorum fructu. S. Athanasius q. 118. dict. & interpret. parab. sac. script. eundem locum explicans ait. *Si ille, qui terreno Regi militat, non potest ei placere, nisi alias uitæ curas reliquerit, quanto magis id in militia, quam sub Cælesti Rege militamus fieri conuenit?* Theodoretus in comment. ad locum eũdem ep. ad Timoth. *Qui uitam*, inquit, *militarem amplectuntur, sunt à mercimoniorum studiis separati, solius autem uitæ militaris cũram gerunt, ut ineant gratiam apud Principes, qui ea sunt natura præditi, &c*

7 Respondet D. A. ad hoc argumentum tripliciter. Primo
" quod curæ, & solicitudines, quæ auocant à diuino cultu, ces-
" sant magna ex parte, cum clerici per alios negociantur.

At vtcumq; id concedamus, si cessant magna ex parte, non omnino cessant, quod si non omnino cessant, aliqua ex parte impediunt adhuc, & occupant Diuinum ius, & consequenter hac ratione non tollitur malitia actus, sed minuitur. Faciamus tamen (quod impossibile est) curas hasce non tantũ ex parte, sed omnino cessare, dum clerici negociantur per tertias personas, adhuc non sequitur, eos ita negociari posse, vt ostendunt exempla, quæ subijcio. Fornicari cur prohibitum est? quia secundum se malum. Cur secundum se malum? Respondet D. Thomas, *quia est contra bonum prolis educandæ*. Rursum, adulterium cur prohibitum est? quia sm. se malum. Cur sm. se malum? *quia est contra bonum prolis propriæ, & alienę*. Ergo si ita circumstantionetur adulterium, vt bono proli neutrius repugnet, sicuti faciebant Lacedæmonij, & fornicatio ita demum vsurpetur, quando proli nasciturae nihil defuturum est, sicuti apud gentes, quæ communes mulieres habebant, & apud nos fieri potest, si mater sit diues, licebitne, vel adulterare, vel fornicari? Absit. Quid ita? Respondet S. Thomas, *quia lex non respicit ea, quæ fiunt rarò, & per accidens, sed quę per se, & vt in pluribus*. Istinc igitur hæc regula vniuersalis colligi potest. Quotiescumq; aliqua lex prohibet aliquid in genere, quod ex dictamine rectę rationis secundum se communiter, & vt in pluribus malum est, etiam si per accidens, & in aliquo particulari cesset ratio malitiæ, & prohibitionis, non cessat vis obligatoria legis, nisi cesset ex concurrentia alicuius præcepti maioris. At

nego-

negociari clericis in genere prohibetur, quia secundum se communiter,& vt in pluribus eos negociari malum est. Ergo etiam si per accidens, & in aliquo particulari cesset ratio malitiæ, & prohibitionis, non cessat vis obligatoria legis, nisi ex concurrentia alicuius præcepti maioris. Seclusa verò necessitate (quę iam in casu nostro exclusa supponitur) quodnam præceptum maius, quàm præceptum de colendo Deum iustè, decenter,& honestè, reperire possunt D. Aduersarij, per quod compellantur Clerici ad emungendam maiorem pecuniam à proximis, quàm ipsi de suo exprompserint? An fortè summo aliquo Iure cauetur, vt sanguis alimentalis pauperum, inuerso naturæ ordine in sanguisugas pauperum vertatur, & Patrimonium Christi instrumentum sit cupiditatis ministrorum eius?

8 Respondet 2. D. A. Certum esse, quod non minus à Dei cul-
» tu auocat aleæ ludus,& venatio,cum certum sit eiusmodi exer-
» citationibus integros dies, & totas plerumq; noctes, absumi,
» cum tamen negociatio,nisi certis horis fieri soleat. Habet prę-
terea nescio quid de sacris mulieribus, quæ vitio eius,qui exscripsit, mutila sunt, neq; intelligi possunt. De hisce verò supponit, neutrum clericis Iure Naturæ prohibitum esse, quia, vt,
» inquit pag. 4. 2. (aleę ludus,& venatio etiam citra dispensatio-
» nem à multis innoxiè vsurpantur. Cum tamen maior insit tur-
» pitudo in his, quam in negociatione.)

At nunquid innoxiè non vsurpantur à multis fornicationes, & periuria? num ergo neutrum non prohibetur lege Naturæ? Scio certè ludum non esse ex genere malum, sed bonum, malum autem fieri posse ex circumstantijs, sicut, & cætera bona, scio illum habere suam virtutem Eutrapliæ, de qua Aristoteles 4. Eth. c. 8. & D. Tho. 2. 2. 168. a. 2.& deincepf. Venatus quoquè ex suo genere bonus est,vt probat D. Thomas 2. 2. 64. 1. & neutrum horum, quantum est de se, turpitudinem vllam annexam habet. Dicit verò S. D. quod negociatio mercimonialis, quantum est de se, turpitudinem quandam annexam habet, quatenus de se non importat finem honestum,vel necessarium. Sed de hoc paulo infra loco suo. Ludus quatenus ludus non implicat animum, sed implicatum potius soluit, relaxat, & recreat, consistitq; in quadam animi quiete, vt benè Arist. & D. Thomas locis pręcitatis. Recedunt ab hac virtute Aleatores, & ideo Aristoteles 4. Ethi. c. 4. non annumerat eos Eutrapelis, sed associat latronibus, & pyratis. Venatus item cleri-

cos

eos impedire poteſt ab officio ſuo, poteſt & non impedire; at 11
de ſui natura non magis impedit, ſi fiat cum debitis circumſtantijs, quàm quęlibet honeſtiſſima relaxatio. Et ideo communiter clericis malus tantum eſt, quia humano Iure prohibitus, alioqui malus tantum futurus, cum fieret ſine debitis circumſtantijs, quas, quia ſeruare, non ita facile eſt, quia, vt inquit, Teletes apud Stobæum, *determinato tempore non definitur, ſicut agricultura, artificia, & cætera manualia*; ideo optimo Iure prohibitus. Quod ſi quis obijciat Auguſtinum relatum à Gratiano c. *qui venatoribus*, & ſeqq. 86. diſt. videat Gloſſam, & diſtinguat de Venatu. At negociatio communiter ſũ, ſe non ſoluit, ſed implicat animum terrenis curis, & quando citra neceſſitatem à Clericis vſurpatur, eſt effectus inordinatæ cupiditatis pecuniariæ, quàm Ariſtoteles appellat morbum inſanabilem. Qua de re mox.

9 Dicit 3 D. A. quod clericis conceduntur alia, quæ eos implicant, vt agricultura, & artificium, atq; id genus alia, quæ clericis relinquere poſſunt iuſtum ſpatium exercendi munera propria. Quin etiam negari non poteſt, plurimos negociatores laicos ſatis temporis nanciſci, vt proprietatis officijs operam dent. Vt nemini dubitandum ſit, idem poſſe clericis accidere.

Huic argumento ſatisfecit iam S. Auguſtinus de opere monachorum c. 15. videatur ſupra cap. 1. §. *Huic argumento*. Alicubi quoq; Seneca dixit: *negocia ſordida, quæ nos auocant à ſtudio ſapientiæ, abrũpi poſſe, explicari non poſſe, quod negocium ex negocio ſeratur, & occupationi occupatio velut vnda ſuccedat vndæ*. Itaq; nõ prohibentur clericis, quæ implicant corpus, vt optimè Aug. docet, ſed quę implicant animum, & auocant à cæleſtibus. Vnde elegans illud apud Gloſſam in c. cantantes 92. diſt.

Non vox, ſed votum, non chordula muſica, ſed cor,
Non clamans, ſed amans cantat in aure Dei. Et etiam apud Gentiles vſurpatum illud. *Hoc age*.

10 Quod autem Aduerſarij adeo conſtanter aſſeuerant, fieri poſſe, vt & Deo, & mundo clerici ſimul benè vacare poſſint, hoc omnino negat Concilium Francofordienſe ſub Carolo M. ad calcem ſacroſillabi, cuius ſunt hęc ipſiſſima verba. *Iuxta Domini vocem: nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, & Paulus: Nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſæcularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit. Nemo ſibi blandiatur, quod vtrumq; poſſit, & Deo, & mundo ſeruire, quia veritas eſt, & mentiri non poteſt, qui hoc fieri non poſſe, teſtatur*.

11 Postremo D.A.citat Medinam, Thabienam, Armillam, Aragon. Molinam, Azorium, Rebellium, & Valentiam, qui affirmant: Clericis licere negociari per interpositam personam, & probant, quia Ius Canonicum solum prohibet, ne per se ipsos negocientur, vt videantur nullam legis naturalis rationem habuisse. Et profectò si lucrum, inquit, ex negociatione respectu clerici est intrinsecè malum, & prohibitum præcepto Iuris naturalis, ne per interpositam quidem personam potest vlla ratione licere; quemadmodum non licet per interpositam personam mentiri, aut hominem occidere.

Fateor equidem, hoc argumentum D.A. contra opinionem Medinæ esse demonstratiuum, & ideo sententia Medinæ omnino abijcienda, & abiudicanda; tenenda verò opinio Glossæ in clem. 1. de vita, & honest. cler. ver. *publicè, & personaliter*, quam ego in voto sequutus sum, quæ quando clerici non exercent illas artes publicè, & personaliter, dicit cessare pœnam dumtaxat, & manere culpam. Et miror quomodo D. A. citet sibi Molinam disp. 342. n. 10. cū hæc sint eius verba formalia: *Ego, quamuis non existimem, culpam letalem esse, ita per alios negociari, aliquid tamen fœditatis, atq; indecentiæ in ea negociatione interuenire, arbitror, ratione status, quando circumstantia non adesset, quæ illam excusaret. Quo circa improbandam, quantum est ex se, illam esse, arbitror.* Hæc ibi Molina. Valentia nihil aliud facit to. 3. disp. 5. q. 20. p. 5. nisi quod refert opinionem Medinæ, eamq; neq; probat, neq; improbat.

12 Et sanè quidem egregium argumentum est illud Medinæ: *Clementina prohibet exercere artes sordidas personaliter sub pœna excommunicationis. Ergo per tertias personas easdem artes exercere licet.* Egregium, inquam. Quum. n. lex illa quatenus Canonica, pœnalis tantum sit, quatenus moralis, tota diuina, nihil aliud planè sequitur, nisi, vt inquit Glossa: cessante causa pœnæ, cessare pœnam. Causa autem pœnæ non est exercere illas artes, sed eas exercere publicè, & personaliter, h. e. non substantia actus, sed circumstantia. Non sequitur porrò: *si non exercentur personaliter, & publicè, exercentes nō excommunicatur: ergo si non exercentur personaliter, & publicè, non malè exercentur.* Nam etiam concubinarij publici excommunicantur, nihilominus etiam concubinarij secreti peccant mortaliter, licet non excommunicentur. Norunt etiam pueri inter rudimenta Dialectices soluere huiusmodi cauillos: Philonides non est homo doctus; ergo non est homo. Tersites, non est homo pulcher, ergo non est homo. Eiusdem generis est

hoc

hoc argumentum Medinę. Negociatio per tertias personas non est peccatum punitum per excommunicationem. Ergo non est peccatum. Pręterea quot aliæ leges reperiuntur, quæ nullam mentionem faciunt de clausula *personaliter*, sed in genere, & absolutè loquuntur? Proinde hęc altera consequentia priori illa nihilo firmior est. *Clementina prima prohibet Clericis, sub pœna excommunicationis, exercere Tabernam, & Lanienam publicè, & personaliter. Ergo omnes leges prohibent Clericis mercimonium personale tantum.* Consequentia tenere non potest, nisi supponamus, aut Clementinam 1. esse omnes leges, aut quod prohibet Clementina prima cum iisdem penitus conditionibus ab omnibus legibus prohiberi. Hoc autem, verum sit ne, an falsum, vnusquisquè per se facile diiudicarit.

13 Sed quid immoramur in argumentis? Textus perspicuus est. Sic enim ad calcem loquitur. *Aduersus verò alios Clericos negociationibus, vel commerciis sæcularibus, vel officiis non conuenientibus Clericali proposito publicè insistentes, sic Canonica seruare studeant instituta, quod & illi ab excessibus compescantur huiusmodi, & ipsi de damnabili circa hæc negligentia nequeant reprehendi.* Hic certè *personaliter* non reperias, sicut de Laniena, & Tabernaria, sed absolutè, & genericè negociationes, & commercia sæcularia. Pudeat ergo vltra confugere ad inane hoc negociationis asylum. Ad quod non possum non mirari, quomodo tot viri docti hactenus confugerint, quasi hoc capite Clericis concedatur mercatura per tertias personas, cũ tamen hic absolute oẽs negociationes sæculares eis prohibeantur, sub pœnis per sacros Canones, constitutis adiecta dumtaxat excommunicatione in eos, qui publicè, & personaliter Lanienam, & Tabernariam exercent.

14 Sed faciamus [ex interpositione tertię personæ] cessare in negociatione deformitatem ex occupatione animi, & corporis, num ideo cessat omnis malitia? nihil minus, nam vt dixit benè Molina loco supra citato, & cum eo Lessius de Iust. lib. 2. c. 1. dub. 1. §. fin. *ratione status est talis repugnantia inter negociationem, & Clericatum, vt etiamsi per tertias personas exerceretur, indecens nihilominus remaneat, fœda, & quantum est de se improbanda.*

15 Ratio indecentiæ, incongruentiæ, & fœditatis in hoc posita est, & sit 4. argumentũ pro nostra conclusione. Æquitas ~~item~~ & Iustitia, vt ante dixi, iustumq; & ius distributiuum consistũt, in proportione Geometrica, qua vna mundũ, & omnia per Di-

uinam prouidentiam constituta, & disposita metienda esse, putant Philosophi, & Theologi. Vnde S. Dionys. de Diu. Nom. c. 8. *In hoc consistit vera Dei Iustitia, quod omnibus tribuit propria secundum uniuscuiusq; dignitatem, & uniuscuiusq; naturam saluat in proprio ordine, & uirtute.* Iniquitas vero & iniustitia, indecentia, & iniuria in improportione. Propterea cum Deus sit summum, & excellentissimum bonum; Pecunia minimum, infimum, & despicacissimum bonorum omnium ex æternæ legis decreto oportet, vt officia, & munera, quę ordinantur ad vtrũque, ipsorum tanquam ad finem proprium, pro sua capacitate habeant eandem analogiam inter se, quæ est inter Deum, & pecuniam. Quod si mutuam hanc habitudinem tollas, omnium consensu omne ius, & æquum, omnem decentiam, & honestatem tollas consequenter, necesse est. Ex hac proportione, quæ esse debet inter Ministerium sacrum, & cętera munera, veteres gentes, vt colligitur ex Diogene Pytagorico lib. de Regno, statuerunt, summam rerum omnium potestatem, aut Sacerdotio annexam esse, aut sine Sacerdotio stare non posse, sic argumentantes. Sicut habet se Deus ad cęteras mundi res, ita habere se debent, qui Deitatis curam gerunt, ad eos, quibus cętera quæcumq; committuntur. Deus est summus in vniuerso. Ergo supra Sacerdotium, quod est ministerium, quo colitur, & honoratur Deus, nullum aliud munus esse debet. Et consequenter aut Sacerdoti omnia subiiciantur, aut nemo Rex sit, quin etiam sit Sacerdos. Hinc, vt antiquissimi, & probatissimi scriptores fidem faciunt, vetustissimæ gentes, vt Gręcorũ permulti, Ægyptij, Persæ, Chaldæi, Æthiopes, Armeni, Galli, Britanni, Indi verò ad hanc vsq; diem, aut Sacerdotum Imperio subiecti fuerunt, aut Reges sacris initiare solitæ sunt, vt demum ad Sacerdotium summa rerum omnium deferretur. Hoc ipsum testatur Moyses de Melchisedecho Dei altissimi Sacerdote. Immo etiam apud veteres Romanos post exactos ab Vrbe Reges, summam iuris, & legum potestatem penes Sacerdotes centum fermè annis fuisse, scribit Pomponius l. 2. §. 2. ff. de Orig. iuris. Et antiquo Romano iure Sacerdotalis dignitas Senatoriam annexam habebat, vt Liuius lib. 27. auctor est.

Quando igitur disputamus de hac nostra controuersia ex Iure naturæ, liceat & nobis vti naturali hac norma Iuris, & æqui (analogiam dico) qua solo naturę ductu, & gentes vsæ sunt ad indagandum Iustum, & Ius naturale, dicamusq;. Sicut habet se

Deus

Deus ad pecuniam, ita (pro rerum capacitate) habere se debet clericatus ad negociationem. Deus est summum, & excellentissimum bonum. Pecunia minimum, & despiacissimum bonum. Ergo clericatus ad negociationem habet se sicut maximum, & præstantissimum munus ad minimum, vilissimum, & despicacissimum. Et per consequens sicuti repugat maximum esse minimum, & vicissim minimum esse maximum, ita repugnat, & clericum esse negociatorem, & negociatorem esse clericum, siue, quod idem est, ita repugnat, inhonestum, fœdum, & turpe est, clericum pecuniæ seruire, ac negociatorem ministrare Deo. Et hoc perinde est, ac si quis eundem esse velit, cubicularium pincernamuè Pontificis, aut Regis, mulionem, aut stabularium. Tota verò ratio indecentiæ in proportione Geometrica fundatur, quæ vt dixi est anima Iustitiæ, & Iuris. Sit enim exempli g. Deus vt 10. Pecunia vt 5. clericus vt 8. Negociator vt 4. Verissimum est quod sicut habet se $\overset{10}{1}^{us.}$ ad $\overset{5}{2}^{m}$. ita $\overset{8}{3}^{us}$. ad $\overset{4}{4}^{m}$. Vnde à permutata ratione sicut se habet $\overset{10}{1}^{us}$ ad $\overset{8}{3}^{m}$. ita $\overset{5}{2}^{us}$. ad $\overset{4}{4}^{m}$ Nam in 1ª cõparatione vterque antecedens ad suum consequentem habet rationem duplam, in 2da. sesquiquartã. At si cõgiungas $\overset{10}{1}^{m}$ cũ $\overset{4}{4}^{to}$. & $\overset{5}{2}^{m}$. cũ $\overset{8}{3}^{o}$. nempe vel negociatorem cum Deo, vel clericum cum pecunia, impossibile est, quatuor hosce terminos habere proportionem inter se; nam 10. ad 4. habet rationem duplam sesquialteram, 8. verò ad 5. supertripartientem quinctas. Quare duæ istæ habitudines non sunt similes inter se, & consequenter carent proportione; proportio enim est rationum similitudo. Si carent proportione, carent Iustitia, carent naturę ordine, carent decentia, honestate, ęquitate, & dcniquè non possunt esse nisi peccaminosæ, in moralibus enim omnis deordinatio peccatum est. Immo hoc ipso quod hæc connexio inuertit naturę ordinem, subintelligitur prohibita per æternam legem, quæ vt Augustinus dicebat ordinem naturæ seruari iubet turbari vetat proinde regulariter peccato carere, non potest. Quia *peccatum* ex eod. Aug. con. Faust. lib. 22. c. 27. *est dictum, vel factum, vel concupitum aliquid contra legem æternam*. Et c. 28. *est autem illicitum quod lex illa prohibet qua naturalis ordo seruatur*. In honestas autem, peruersitas, & iniquitas ista non fundantur in

arbi-

arbitrio hominum, sed in ipsa natura clericatus, & negociationis, & cum neq; tolli possint per interpositionem tertiæ personæ, quia hæc interpositio non mutat naturam, & essentiam terminorum, neq; alicubi tantum, sed vbiq;, & apud omnes gentes eadem improportio sit. Nō esse positiuā consequens est.

16 Immò si rem animo expendamus sincero, interpositio tertię personæ (vt in casu nostro) negociationem reddit magis turpem, & inhonestam. Iustitia scil. commutatiua consistit in æqualitate dati, & accepti. Iniquitas, & Iniustitia in inæqualitate. Lucrum, vt inquit Arist. 5. Eth. c. 7. est excessus prætij, quo res empta est. Damnum eiusdem prętij diminutio. Vnde colligit, quod Iustum est medium inter damnum, & lucrum. Ad hoc vt excessus ille, qui intenditur ex venditione iniustus non sit, quid requiritur? labor, industria, periculum in deferendo merces de loco ad locum, vigilię, sudores, diligentia in elaborando eas ad vsum Ciuitatis, easdem in promptu habere pro quibusq; petentibus, eisque quodam pacto deseruire quæ omnia, & singula merentur cum proportione tanquam stipendium aliquid supra sortem dati. Tolle hæc, excessus ille pecunię, quem aucuparis, quo nomine, quęso, quo titulo cohonestari potest, & redigi ad limites æquitatis? nullo penitus, puto, si vera sunt, quæ docent D. Thom. Scotus, & communiter omnes. Nunc verò percontari lubeo Aduersarios, an clerici nostri illis implicentur rebus, propter quas lucrum cohonestatur, an non? Abnuunt; in nullo penitus, inquiunt, neque quo ad corpus, neque quo ad animum implicantur. Nonne ergo alienū vsurpant; qui nihil merentes arripiunt sibi stipendium, quod aliorum diligentiæ, sudoribus, & vigilijs commensuratum, & debitum est? Si occupantur, & distrahuntur his curis, merces vtiq; iusta est, sed merces iniquitatis, quia quod Deo tradi debent, pecuniæ tribuuntur. Si neq; laborant, neq; implicant animum, vt asserunt, hisce negotijs, lucrum iniquum est; est enim merces solius industriæ, laboris, occupationis, periculi, etc. quæ negociator supra pecuniam mercimonijs addit ad cōmodum Reip. Non laborant, inquiunt non occupantur, nihil penitus agunt, nihil periculi, nihil incommodi experiri possunt, quin de huiusmodi rebus ne cogitant quidem, nihilominus honestè, decenter, iustè excessum illum pecuniæ persequuntur. O dignam sacerdotio, & sanctitate sententiam. Meritum pauperum, & ægenorum totum esto; Premium, & stipendium no-

stri

ſtri ſolius, & hoc iuſtum? Et hoc honeſtum? vendant nobis pauperes Chriſti res ſuas vilius, mox eaſdem redempturi prętio cariori, ipſiq, ipſimet ſuis laboribus, ſuis ſudoribus, & vigilijs eaſdem ſeruando, mutando, vendendo mereantur, vt curis hiſce vel indormientibus nobis, marſupia noſtra saginentur, peculium noſtrum augeatur, numi noſtri eorum vigilijs fœcundati, & quaſi eorum ſudoribus grauidi nobis alios numos parturiant Et hæc honeſta vox eſt? & hoc decet miniſtros Chriſti? Scio commendari illuſtrem illum Hiſpanum, qui theſauros Eccleſiæ diſperſit, & dedit pauperibus, alioſq. permultos, qui exemplum eius ſequuti ſunt. At ad hanc vſque diem reperire non potui, quod Eccleſia Dei alicuius clerici laudes celebrauerit, qui facultates Eccleſiæ ſæculari negociationi dediderit. Quod ſi quiſpiam tale quid præ manibus habet, libentiſſime addiſcam.

17 6. Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Leuit. expendens illud c. 19. *eſtote ſancti, quoniam ego ſanctus, ſum Dominus Deus veſter. Nomen hoc ſanctus*, inquit, *quid ſibi velit, quidue ſignificet, in ſcripturis diuinis diligentius inquirendum eſt, &c. Congregemus ergo de ſcripturis diuinis, ſuper quibus ſanctum dici inuenimus, & deprehendemus, non ſolum homines, ſed etiam muta animalia ſancta appellari, inuenimus & vaſa miniſterij ſancta vocitata, & veſtimenta ſancta dici*, &c. & mox. *Natus eſt mihi bos primogenitus, non mihi licet eum occupare ad opus commune, eſt Deo conſecratus, & ideo dicitur ſanctus. Intelligimus ergo ex hoc muto animali, quomodo lex, quod ſanctum vult eſſe, nulli alteri deſeruire iubet, niſi Domino ſoli*. Idque per omnia genera rerum ſacrarum perfecta, & vniuerſali inductione commõſtrat. Ac tandem colligit. *Quod ſi intellexiſti quomodo vel animal, vel veſtimentum ſanctum appellatur, conſequenter intellige, quod his obſeruationibus, & legibus etiam homo ſanctus appellatur. Si quis enim ſe ipſum deuouerit Deo, ſi quis ſe nullis negocijs ſæcularibus implicarit, vt ei placeat, cui ſe probauit, ſi quis ſeparatus eſt, & ſegregatus à reliquis hominibus carnaliter viuentibus, & mundanis negocijs nequaquã obligatus, non inquirens ea, quæ ſuper terram, ſed quæ ſuper Cælos ſunt, iſte meritò ſanctus appellatur*. Idq; poſt multa confirmat ab ethymologia nominis. *Denique & ipſe ſermo*, inquit, *in græca lingua, quod dicitur ἅγιος, quaſi extra terram eſſe ſignificat*. Quum igitur clericatus ſm̃ ſe ordo ſit hominum Deo dedicatorum, & propterea ſm̃ ſe ſacer, & ſanctus, ſacrum autem, ſanctumq; quod terrenis, & mundanis vſibus non applicatur,

catur,

catur,sed Diuinis tãtum,si negociatio per se ordinat hominem actusq; & operationes eius ad nundinationes,& Lucra temporalia,& terrena,quomodo potest non pugnare ratio clericatus cum ratione negociationis? Clericatus ad lucrum terrenorum habet rationem,& habitudinem fugientis,contemnentis,auuersantis,odientis;Negociatio amantis,prosequentis,amplexantis, colentis.Ergo sm̃. se duo hæc munera pugnant, & irrationabilia ad inuicem sunt.

18 Hinc S.Hieron.ad Nepotianum:*Clericus, qui Christi seruit Ecclesia,interpretetur primo vocabulum suum,& nominis definitione prolata,nitatur esse, quod dicitur . Si. n.* Κλῆρος *græcè, sors latinè appellatur,propterea vocantur clerici,vel quia de sorte sunt Domini,vel quia ipse Dominus sors,idest pars clericorum est.* Vnde nonnullis interiectis colligit:*Negociatorem clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge.*Et refertur à Gratiano c.*negociatorem* 88. dist. Non vidit ergo Hieronymus conuenientiam, & congruentiam vllam inter clericatum, & negociationem , qui vel ex ipsa nominis ethimologia, negociatorẽ clericum adeo execratus est.Vnde S.Thomas 2.2.40.2.citatus in voto dixit.*Quod quædam negocia sunt adeo sibi repugnantia,vt conuenienter simul exerceri non possint,* & ex hac repugnantia clericatus cum negociatione collegit ibi,prohiberi clericis cum exercitijs bellicis etiam negociationes. Quomodo ergo dubitari potest de mente S. D. post assertionem eius adeo claram?Repetantur principia supra explicata. Bonum natura habet rationem congruentis,& conuenientis cum eo,cui est bonum;malum incongrui,& inconuenientis. At negociatio ad clericatum suapte natura habet se vt incongruum, & inconueniens , eiq; sm̃.se repugnat , & aduersatur.Ergo ei suapte natura mala. Quæ prohibentur quia mala,sunt de iure naturę,igitur de iure naturę est nostra hæc prohibitio.

19 7. Nũc de ea turpitudine dicamus,quæ inest mercatoriæ secundum se . De hac speciatim Aristoteles primo polit. cap. 6. & 7.Sententiæ eius summa hæc est.Vniuscuiusque rei duplex est vsus , alter proprius, improprius alter,e. g. calcei calceatio , & venditio. Cuius quidem vsus proprius est calceatio , improprius, permutatio ; non enim ideo inuentus est calceus , vt venderetur , sed vt tegeret pedes . Permutationis origo hæc fuit . Habebant ab initio alij plura, alij pauciora ex ijs,quibus indiget homo , & ideo inter se permutabant res cum rebus, superfluas cum necessarijs , vt puta vinum cum tritico , gladium

cum

cum calceis, lignum cum carne, & vniuersim quę redundabant, cum ijs, quorum inopia laborabant. Hoc commercij genus, asserit eodē in loco, ętate sua in vsu fuisse apud multas barbaras nationes, & quod de Scitis nominatim affirmat Strabo lib. 7. de antiquis Græcis. Homerus Odys. ω. & Iliad. 7. de Romanis veteribus Plinius lib. 33. cap. 1. & I.C. l. 1. ff. de contrahen. empt. de Germanis sui temporis Tacitus de moribus Germ. Et hoc permutationis genus Arist. appellat naturale, quia non tendit ad amplificationem rerum, sed tantum hoc agit, vt quæ ad vitæ vsus sunt necessaria, ea permutando suppleantur.

20 Hinc tamen ortum est aliud permutationis genus, quod pecuniarium appellat. Cum .n. non vnaquęq. Ciuitas haberet res sibi necessarias, sed aliunde eas contrahere, necesse esset, vt facilius id fieret, communi condicto numus constitutus est, tanquam cōmodissimum ęquilibrium omnium permutandorum. Et propterea, vt inquit, dicitur numus quasi νόμος, quia non à natura sed à lege est, quæ græcè νόμος. Pulchrè Paulus I. C. præallegata l. 1. ff. de contrahen. empt. *Origo emendi, vendendiq; à permutationibus cæpit. Olim .n. non ita erat numus, neq; aliud merx, aliud prętium, sed vnusquisq; sm. necessitatem temporum, ac rerum vtilibus inutilia permutabant. Quando plerumq; euenit, vt quod alteri superest, alteri desit, sed quia non semper, nec facilè concurrebat, vt cum tu haberes quod ego desiderarem, nec ego inuicem haberem quod tu accipere velles, electa materia est, cuius publica, ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subueniret, eaq; materia, forma publicà percussa, vsum, dominiumq; non tàm ex substantia prębet, quàm ex quantitate, nec vltra merx vtrumq; est, sed alterum prętium vocatur.* Numum ideo Aristoteles dicit inuentum esse veluti expromissorem, seu fideiussorem quændam pro hominum indigentijs primo *simpliciter difinitum quantitate, & pondere, postmodum verò etiam signo impressum, quo à mensura liberi essent, nam signum positum est ad quantitatem demonstrandam.* At numo constituto propter necessariam permutationem, statim emersit mercatura, cuius finis est, pecuniam augere. Hanc vocat artem pecuniariam, & numulariam, quia, vt inquit, elementum, & terminus, principium, & finis eius, α & ω est pecunia, & numus. Numis mercator emit, numis vendit, vt numos augeat.

21 Mercatoriam damnat Aristoteles multis nominibus, sed hoc

in primis, ꝙ inuertit ordinem naturalem rerum, cũ .n. non permutatio propter numum; sed numus propter permutationem institutus sit, mercator è contra ordinat permutationem ad numum, hoc est finem, & terminum ad medium, & instrumentum suum, quod est in naturale. Præterea omnes artes habent pro scopo asequi finem suum simpliciter, absolutè, indeterminatè, & quammaximè fieri possit. Sic Medicina, sic equestris, sic militaris. Medicina intendit sanare, non tantum, vel tantum, sed indeterminatè, & quantum sanari possibile sit. Equestris flectere equos, non tantum determinatè, sed indeterminatè, & quammaximè possit; militaris vincere quammaximè vinci possibile sit, & cæteræ similiter. Cum igitur mercatoria sit Ars, cuius finis est lucrari, & pecuniam augere, & ipsa sm. se indeterminatè, & quammaximè possibile sit, hoc agere intendet. Hoc autem vitiosum, & turpe est. Idcirco optimo Iure Mercatura secundum se tanquam turpis vituperanda. Vnde Ambrosius in 2. ad Timot. c. 2. *Negocia sæcularia auaritiæ seruiant, necesse est.* Et S. August. 13. de Trinit. c. 3. *Mimi cuiusdam facetissima prædicatur vrbanitas. Qui cum se promisisset in Theatro, quid in animo haberent, & quid vellent omnes, alijs ludis dicturum, atq; ad diem constitutum, ingenti expectatione maior conflueret multitudo; suspensis, & silentibus omnibus, dixisse, perhibetur. Vili vultis emere, & carò vendere. In quo dicto leuissimi Scænici omnes conscientias inuenerunt suas*, &c. Mox dictum illud reprehendens, ait. *Sed quoniam reuera vitium est, potest quisq; adipisci eiusmodi iustitiam, vel alicuius alterius vitij, quod huic contrarium est, incurrere pestilentiam, qua huic resistat, & uincat.* Tertulianus de Idololatria. *Negociatio seruo Dei apta est?* inquit, *cæterum si cupiditas abscedat, quę est causa acquirendi, cessante causa acquirendi, nulla erit necessitas negociandi.* Reducit ergo ad cupiditatem negocium tanquam ad radicem. Plato in 11. de leg. *Vulgus immoderata cupit, & cum mediocriter lucrari liceat, inexplebili lucri cupiditate uexatur. Quo circa omnia genera hominum, quę in cauponatione, mercatura, diuersorioq; uersantur, calumniæ, & opprobio subiacent.* Et D. Thomas citatus in voto 2. 2. 77. 8. quum Aristotelem sequutus distinxisset permutationem naturalem à negociatoria, dixit *quod ista iustè uituperatur, quia quantum est de se deseruit lucri cupiditati, quæ terminum nescit, sed tendit in infinitum. Et ideo negociatio sm. se considerata quandam turpitudinem habet, in quantum non importat finem de sui natura honestum, uel necessarium.* Quæ quidem ab Aristot. ijsdem

penè

pené verbis mutuatus erat, cuius hæc sunt cap. 7. præallegato *naturæ consentanea est ea ars, quæ est ex frugibus, & animantibus. Cũ autem ea sit duplex, vt diximus, & hæc quidem mercatura; illa verò domestica, & hæc quidem necessaria, & laudabilis, illa verò translatitia, & Iure vituperabilis.* Cur autem vituperabilis? *Non enim sm. naturam sed ab hominibus acquirit* h. e. non facit quæstum ex terræ fructibus, & animalibus, quæ ad hoc à natura facta sunt, sed ab ipsis hominibus, & ab eorum laboribus, res quammaximè aliena, & à natura hominum, & à fine propter quem numus constitutus est. Et ne quis ambigat de mercaturę turpitudine, nonullis imteriectis *eius* inquit, *quæ per translationẽ dicitur* (quam nimirum improbandam esse dixerat) *potissima pars est mercatura, & huius partes tres nauigatio, deuectio, negociatio.* Improbanda igitur sm. Aristotelem, & vituperanda est negociatio.

Huc commodè referri possunt, quæ de charitate, & cupiditate scribit S. Augustinus lib. 83. qq. q. 36. *cupiditas*, inquit, *est amor adispicendi, aut obtinendi temporalia. Charitatis autem venenum est spes adipiscendorum temporalium. Nutrimentum eius est imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas.* Clericorum statum, cum secundum se ordinetur ad honorem Dei, & ad seruitutem Latriæ, necessario quoq; ordinatur ad Charitatem; honor .n. supponit in re honorabili bonitatem excellentem, & summus honor excellentissimam bonitatem, propterea debitum honoris supponit debitum amoris, & in eo fundatur, & ex consequenti debitum summi honoris debitum summi amoris. Cum ergo Clericorũ status sm. se ordinetur ad charitatem erga Deũ, negociatio sm. se ad adipiscenda temporalia, & ad cupiditatem, quomodo sm. se negociatio non pugnabit cum clericatu, si amor adipiscendi, aut obtinendi temporalia sm. se venenum est charitatis?

22 8. Affinis demum vsuræ est Mercatoria, & inde damnanda. Cur enim damnatur fœnus? quia numus numum parit. Cur autem hoc damnandum? Quia numus non est factus propter numum, sed propter permutationem cum diuitijs naturalibus, & ideo talis acquisitio est maximè præter naturam. Cum igitur etiam mercatura intendat numum ex numo, idemq; sit principium, & finis eius, sicut in fœnore, hoc ex capite affinis est fœneratoriæ. Et ideo, & ipsa præter naturam est, & vituperãbilis. Certè ius ciuile senatoribus prohibet exercere mercaturam. Et Cicero in extremo paradox. ait. *Omnem quæstum Se-*

natori eſse turpem, & apud permultas nationes nobilitaſ queſtu mercatorio contaminari, & amitti exiſtimatur. Hinc itaq; argumentatur S.Thom. Clerici abſtinere debent ab omnibus turpibus, ab omnibus vituperabilibus, neq; modo ab his, quę ſunt ſm. ſe mala, ſed etiam ab his, quæ habent ſpeciem mali. Mercatura, & negociatio mercimonialis ſm. ſe turpis eſt, vituperabilis, & habet ſpeciem mali. Ergo ab ea clerici abſtinere debent. Maior fundatur in natura clericatus, tum quia Sacer, & Sanctus. Tum quia clericorum eſt ex officio à ſimilibus reuocare homines ad amorem cœleſtium, eoſq; hortari ad paupertatem, & ad contemptum bonorum temporalium propter ęterna. Turpe verò eſt Doctori cum culpa redarguit ipſum. Minor ſupra probata eſt ex natura negociationis, proinde reuera, prohibitio hęc non in arbitrio cuiuſquam, ſed in natura rerum fundatur.

23 Reſpondet D. A. ad hunc locum, & ad hoc argumentum D. Thomę (quem in voto citaram) hiſcemet verbis. Lucrum ſi per ſe ſpectetur, vt loco citato indicat S. Thomas eſt quidpiam indifferens, quod à fine, vel turpitudinem contrahit, vel honeſtatem. Quo circa Chriſtus non ſemel in Euangelio in parabola talentorum, & minarum videtur commendare lucrum ex negociatione, eos enim laudat, qui talenta multiplicauerant, & contra reprehendit eum, qui nihil lucri fecerat. Eandemquè ob cauſam ſcriptura non ſimpliciter lucrum damnat, ſed *turpe lucrum* quod non nullis probat, & mox. Qui autē turpe lucrum damnat, is profectò ſignificat lucrum aliquod eſſe poſſe honeſtum, quale eſt non ſolum illud, quod ex artificio percipitur, ſed etiam, vt ait loco citato D. Thomas, quod oritur ex negociatione, quæ ad ſuam, familiæquè ſuæ ſuſtentationem, vel ad inopiam pauperum ſubleuandam, vel deniquè ad publicam vtilitatem refertur. Hæc igitur ſingulatim perpendamus.

24 Primum verò illud mihi occurit, quod primum argumentum ex auctoritate Chriſti commendantis lucrum, nihil omnino facit ad honeſtatem negociationis, vt ipſiuſmet Chriſti verbis, & confeſſione D. A. demonſtrabo. Solet Chriſtus ad explicanda myſteria regni cælorum adhibere ſimilitudines prudentium huius ſæculi. Sic Luc.16. dixit quod *Dominus laudauit villicũ iniquitatis, quia prudēter feciſſet, quia filij huius ſęculi prudētiores filijs lucis in generatione ſua sũt.* In quæ Amb.ſerm.64. *Nõ omnia fratres cariſſimi, quæ in villico Dominus laudauit, nos ad imitandum ſumere*

debe-

debemus. Simillium est exemplum, quod affert hic Christus Matth. 25. de patre familias, qui distribuit seruis suis talenta. Seruus enim, qui reprehenditur, si ad amussim virtutis iudicandus sit, optimè fecit, malè qui laudatur. Quid enim in eo reprehendit Dominus? dicat ipse. *Serue male, & piger, sciebas; quia meto, vbi non semino, & congrego vbi non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepißem vtiquè quod meum est cum vsura.* Ergo aut locus iste nihil probat, aut probat licitum esse dare pecuniam ad vsuram, quod nemo dixerit.

Adde quod D. A. ait, quod qui Io. 1. à Christo de templo pulsi sunt, numularij, turpi quęstu, & auaritia mercimonia exercebant, & ideo de loco sacro eiecti. Quod si pulsi numularij, quia quæstus eorum turpis, quomodo non turpem quęstum optabat iste pater familias, qui volebat, vt seruus pecuniā suam numularijs dedisset ad vsuram? Quicquid sit de mente D. A. quam ipse vt lubet, explicare potest, certè Euangelium adeò clarum est, vt nullum penitus de turpitudine lucri ambigendi locum relinquat. Venio ad S. Thomam.

25 Sanctus Thomas in eo articulo duo dicit. *Primum quod negociatio sm. se turpis est, & vituperanda, quia deseruit naturali cupiditati, quæ terminum nescit, & quia ordinatur ad finem secundum se nec honestum, nec necessarium. Secundum quod lucrum quod est negociationis finis, etsi in sui ratione non contineat aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat vitiosum, vel virtuti contrarium. Vnde nihil probibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum, & sic negociatio licita reddetur.* Hæc S. Thom. Cęterum duo hæc inter se pugnare videntur. Quomodo enim negociatio turpis, & vituperanda sm. se, si lucrum sm. se malum non est, & vituperandum? aut quomodo lucrum potest esse indifferens si ars, qua acquiritur, turpitudinem, & vituperium annexum habet? Hanc difficultatem nullum melius explicare posse puto, quā S. Augustinus; cuius hęc verba sunt in lib. 83 qq. q. 53. quæ pluscula licet, accommodatissima tamen, & omnino legenda.

26 *Ex hac ineffabili, atque sublimi rerum administratione, quæ fit per Diuinam Prouidentiam, quasi transcripta est naturalis lex in animam rationalem vt in ipsa vitę huius conuersatione, moribusque terrenis homines talium distributionum imagines seruent. Hinc est quod Iudex dānatum percutere indignum sua persona, & nefarium iudicat, eius tamen*

men

men iussu hoc facit carnifex, qui pro sua cupiditate sic ordinatus est in officio, vt percutiat legum moderatione damnatum, qui posset etiam innocentem sua crudelitate percutere. Nam neque per se ipsum hoc Iudex facit, neque per Principem, vel Aduocatum, aut aliquem in officio suo, cui tale ministerium non conuenienter imponitur. Hinc est etiam quod irrationabilibus animalibus vtimur ad eas res, quas per homines agi nefarium est. Nam vtiquè dignus est fur morsu lacerari, id tamen homo non per se ipsum agit, aut per filium, aut per domesticum, aut etiam per famulum suum, sed per carnificem bestiam, quam bestiam talia pro naturę suę gradibus decet facere. Cum igitur quosdam pati aliquid decet, quod alios facere non deceat, ministeria quędam sunt media, quib' digna ingiunguntur officia, vt eis vtens ipsa iustitia non solum talia pati quemquam imperet, qualia pati eũ decet, sed iam ius facientib', quos talia facere non minus decet. Hæc S. Pater. Ergo stant duo hęc simul, quod lictores satellites, & carnifices necessarij sint humanæ societati, & officij eorum finis nedum indifferens, sed bonus secundum se, & de iure naturæ, attamen officium ipsum, & munus sit turpe secundum se, ac indecentiam, & turpitudinem quandam ciuilem annexam habeat, pro qua iuste vituperatur, & ab homine ingenuo indignum iudicatur. Pari ratione dixit S. Thomas, quod negociatio secundum se vituperio digna est, turpis est, & habet speciem mali. Cum hoc tamen stare potest, quod finis eius indifferens sit, immo plerumque possit esse bonus, & laudabilis. At seclusa necessitate, quæ est lex legum, propter indecentiam status, non omnibus vsurpanda, & speciatim Clericis, cum quorum munere pugnat, cum eoquè secundum se, & ab intrinseco habet naturalem antipatiam. Quare dum D. A. argumentatur á fine ad officium, & exercitium, nihil rectè concludere potest, & stat assertio D. Thomæ, quod officium negociatoris turpe, & vituperandum est secundum se, finis tamen eius indifferens, & interdum bonus, non secundum se, sed ex circumstantijs, & speciatim à fine, ad quem ordinatur. At in Clericatu non potest habere rationem boni, & honesti, nisi ex sola circumstantia necessarij.

27 Cogor eadem repetere, quæ multoties dicta sunt, quia aduersarij, easdem sæpe obiectiones obtrudunt. Bonitas actus moralis, vt Scotus dicebat, est quasi quidam decor eius, qui consurgit ex debita proportione actus, & agentis, & ex congruẽtia obiecti, temporis, loci, modi &c. quibus debet actus proportionari, vt est talis agentis; Turpitudo actus moralis, & difformitas

eius

eus è contra nihil aliud est, nisi carentia debitæ proportionis, vel omnium, vel alicuius eorum quę ad honestatem, & decorem eius requiruntur. Faciamus ergo, lucrum secundum se, neque turpe esse, neque honestum, neque deforme, neque decorũ, sed honestatem atque decorem, deformitatem item, & turpitudinẽ nancisci ex congruentia, & incongruentia, proportione, & improportione materiæ, agentis, temporis, loci, modi, &c. quibus debet congruere, sententia Apostoli erit. Non esse lucrandum Clericis nisi ex rebus, & officijs congruentibus, & proportionatis dignitati, puritati, sanctitati, difficultati muneris clericalis, & non nisi tempore, loco, modo, &c. quæ eis congruant. Quare relinqueretur ad huc inuestigandum, an lucrari ex mercatura, seclusa necessitate, Clericis conueniat, congruatque an non. Si enim conuenit, & congruit, lucrum turpe non est, sin minus, à nota turpitudinis, & deformitatis vindicari non potest. Cum ergo improportionem abunde demonstrauerimus, quis vltra ambigat, an lucrum mercatorium Clericis prohibeatur, dum in sacra scriptura turpe lucrum illis prohibetur. Venio ad loca S. Scripturæ citata à D. A.

28 Paulus, inquit, 1. ad Thimot. 3. Diaconos vult esse *pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectãtes.* Quo loco Theodoretus *turpis,* inquit, *lucri sectator, non qui (ut nonnulli existimarunt) uel parua lucra appetit, sed qui ex rebus turpibus, & ualde inhonestis quæstum facere in animum inducit.*

Respondeo. Theodoretus illam particulam eiusdem capitis, & eiusdem admonitionis *non cupidum* sic interpretatus erat *non dixit: nihil possidentem. Quę sunt enim commoderata, ac eis conuenientia, constituit, sed non amantem pecunię. Fieri enim potest, ut possideamus quidem, ea autem ut par est administremus, & dispensemus, & eis non seruiamus, sed earum simus domini.* Consentit tralatio ex Syriaco quæ legit *non amator argenti,* & bene, nam Grecè habetur ἀφιλάργυρον. Quare hoc titulo secundum Theodoretũ vetuit Apostolus Episcopis mercimonia. Mercatura enim secundum se ordinat actus hominis ad seruitutem pecuniæ, & negociator ad negocium mouetur amore pecuniæ. At citra necessitatem, cujus instrumentum pecunia est, pecuniæ inhiare, cupiditatis est, non virtutis. Igitur secundum Theodoretum negociatio implicitè saltĩ intelligitur prohibita Episcopo in hoc præcepto. Ne verò Timotheus putaret, solam auaritiam prohiberi Diaconis, & ideo quæcumque exercitia eis licere, quæ

aua-

auaritiam annexam non haberet, vtcumque turpia essent, ideo adiecit Apostolus *non turpis lucri cupidum* Syriacus *neque diligant lucra sordida* h. e. non appetant lucrum ab exercitijs sordidis turpibus, & inhonestis, non dicit, ex rebus *iniquis, & iniustis*, sed ex *turpibus sordidis, inhonestis*. At non repugnat, munus aliquod secundum se habere finem bonum, & iustum, & idem secundũ se turpe, sordidum, ac ciuiliter inhonestum esse, itaut secundũ se non nisi à vilioribus, & despicacioribus minusque honestis personis exercendum sit. Dixit hoc Augustinus supra citatus. Possunt tamen dari tales circumstantiæ, vt quod secundum se, & nude acceptum turpe, & inhonestum iudicatur, honestissimum, & honorabile censeatur. Sic, vt cætera taceam, Phinees, Gedeon, Samuel, & Elias honestissimé officio carnificis functi sunt. Phinees dum interemit fornicarium Diuinæ legis preuaricatorem, Gedeon, dum interfecit Zebee, & Salmana, Samuel dum Regem Agag infrusta discerpsit, Elias dũ iugulauit 430. Prophetas Baal. Propterea hoc, quod affertur, ad rem nihil omnino. Remanet enim adhuc sub Iudice lis. Sit ne mercatoria quatenus secundum se ordinatur ad solum augmentum pecuniæ, turpis, an honesta, & an in Clericatu citra necessitatem decens, an indecora laudanda ne, an vituperanda? Ambrosius verò litem diremit in Commentarijs *Turpia autem lucra*, inquit, *hęc dicit esse, si sub pia professione quæstibus studeatur. Turpis enim ostendit dum se purum ostentat*, & Sanctus Bernardus lib. 2. de cõsideratione *argentum, & aurum, quod ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala. Vsus tamen horum bonus, abusus malus, solicitudo peior, quęstus turpior* Pergit D: A.

„ Sic etiam idem Apostolus ad Titum 1. ait: non oportere *Episcopum eße turpis lucri cupidum*, quo loco Hieronymus, auaritiam, & diuitiarum cupiditatem damnari, affirmat.

29 At si Dominus meus aliquo alio ex loco Hieronymi eam Glossam non accepit, certę in Commentarijs hæc eius verba sunt. *Episcopus qui imitator Apostoli esse cupit, habens victum, & vestitum, his tãtum contentus esse debet. Qui altari seruierint, de altari uiuant. Viuant, inquit, non diuites fiant. Vnde & ęs nobis excutitur de Zona, & una tantũ tunica induimur. Turpis lucri appetitio est plusquã de præsentibus cogitasse*. Neque dissentit August. lib. 83. qq. q. 35. *Turpis amor est* inquit *quo animus se ipso inferiora sectatur, quę magis proprie cupiditas appellatur, omnium scilicet malorum radix*. Postremo D. A. ait.

Deni-

30 Denique Petrus Episcopos monet, *ut pascant Dei grægem prouidentes non coactè sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed uoluntariè* ep. 1. c. 5. qui aūt turpe lucrū damnat, is profectò significat lucrum aliquod esse posse honestū, quale est non solum illud, q̄ ex artificio percipitur, &c. quæ supra relata sunt. „

Respondeo cum Arist. loco superius citato: lucrum honestum secundum se, est lucrum œconomicum, lucrum turpe secundum se, est lucrum mercimoniale. Etsi verò lucrum mercimoniale secundum se, & absolute consideratum, turpe quid sonat, vnde Bernardus modo citatus dicebat (questus turpior) sicut (vt persistam in exemplis S. Thomæ) occidere hominem, non obedire parentibus, ducere in matrimonium sorores, non reddere deposita, frangere fidem, & similia, attamen ex circumstantijs, sicuti & ista, cohonestari potest. In Clericatu vero per solam necessitatem, qua seclusa, vt in casu nostro supponitur, turpe est duplici titulo primo secundum se, deinde ratione status Clericalis, cui speciatim repugnant.

31 9. Postremò S. Thomas dicit, *negociationem esse Clericis illicitam propter frequentia negociatorum uitia, quia difficulter exuitur negociator à peccato labiorum, ut dicitur Ecclesi. 26.* Egregie Tertullianus eodem libro de Idololatria. *De generationibus si cætera delictorum recogitemus, in primis cupiditatem radicem omnium malorum, qua quidam irretiti circa fidem naufragium sunt passi quamuis, & Idololatria ab eodem Apostolo dicta sit cupiditas, tum mendacium cupiditatis ministrum.* Quare vult negociationem à cupiditate generari, medacium verò cupiditati in negociatione deseruire. Ambrosius in Comment. ep. 2. ad Timoth. 2. *Negocia sæcularia auaritiæ seruiant, necesse est, nisi mentiti fuerīt, transegisse non possunt.* S. Hieronymus in psal. 83. *Vera est & Philosophi quedam sententia. Omnis diues, aut iniquus est, aut iniqui hæres. Propterea dicit Dominus atq; Saluator, quod diuites difficilè ingrediuntur regnum cælorum.* Adagium verò illud non infrequenter vsurpat. Quæ cōcionatores è Sacro suggestu delamare solent aduersum amorem numi, quibus laudibus tollere sciant ad sydera paupertatem, detestationem pecuniæ, ad istamquè tanquam ad tutissimam cæli viam mortales omnes hortari, ab illa tanquam difficillima omnes reuocare, iam vel ipsa sedilia norunt. Inde *foramen acus, & camelus; inde semen quod cecidit inter spinas.* Illa quò *plus sunt potæ; & ne illud quidem malum adimunt sui cupiditatem;* sexcentaq; id genus iaciuntur in vulgus, & in amorem numo-

O rum.

rum. Et tutissimum quidem ad superos est iter paupertatis, procliuè ad inferos pecuniæ, & negociationis. Idq; propter peccata, quæ vt in pluribus illis annexa sunt, & humanæ fragilitati cauere difficillimum est. Vnde, inquit, Apostolus 1. Timot. 5. 10. *Radix omnium malorum* φιλαργυρία *est* h. e. amor pecuniç, cuius soboles est negociatio. Clericorum verò institutio ad hoc in primis directa est, vt Deo seruiant, sicuti sūmo, & excellentissimo bono, sicuti summo, & absoluto Domino seruire iustū est. Deinde vt tàm verbo, quàm exēplo promoueant salutem animarum, & præeant laicis iter ad cælum, vt quç impedimento sunt illis ad assecutionem vltimi finis, (quantum in ipsis est) remoueant, subducant, arceant. Quare cum negociatio mercimonialis sm. se propter peccata quç, vt plurimum annexa habet, indecentem, & incongruam reddat seruitutem, quam Clerici seruiunt, reddat præterea, difficiliorem assecutionem vltimi finis, & nobis ad cçlum contendentibus magno impedimento sit, ab ea speciatim, quum exemplo, tum verbo per clericos laici auocandi. Argumentum, quo vtitur S. Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. Igitur ex natura, & essentia clericatus, & negociationis dimanat hæc prohibitio; Neq;
" valet, quod aiunt, quod hæc concludunt, nequè laicis licere
" negociari. Nam hæc non concludunt, nisi quod, vt Blesensis ait ep. 17. citata *quæstibus augere peculium, periculosum in laico est sed perniciosum in Clerico*. Concilium in laico, præceptum in clerico, ratione status, ratione officij, ratione ordinis, quibuscum ex diametro pugnat. Quam propterea prohibitionem si Clerici paruifaciant, eis quadrabit, paucis mutatis vehemens illa reprehensio Apostoli ad Romanos 2. *si requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti uoluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorum insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ, & ueritatis in lege. Qui ergo alium doces te ipsum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? &c. Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per uos blasphematur inter gentes, &c.* Quod vtinā in casu nostro ne fieret.

32 Ac tādem cum omnium gentium consensu huic quæstioni finem impono. Scribit S. Hieron. lib. 2. con Iouin. *Antiquos Aegypti Sacerdotes, omnibus mundi negocijs, curiq; postpositis, semper in templo fuisse*. Arianus de gestis Alex. lib. 8. *Indorum So-*

phystas

phystas nullis corporis muneribus functos esse, nequè aliquid in publicum contulisse, uiuendi gratia. Impijssimus Iulianus apud Sozomenum lib. 5. cap. 15. ad Arsantium gentilitiæ superstitionis in Galatia Pontificem. *Sacerdotem quemq; hortare, ne accedat ad spectatula, neue in taberna bibat, neu artem aliquam, aut opificium turpe, infameue exerceat. Et qui tibi in his rebus morem gerunt, eis honorem tribuito, qui autem resistunt expellito.* Gulielmus Reginaldus Caluino Turcismi lib. 2. cap. 15. apud Turcas, illis tantum sacerdotibus mercaturam permitti affirmat, quibus propter multitudinem liberorum non sufficit stipendium Imperatoris. Apud omnes gentes sacerdotij dignitas summo semper loco fuit, maximæq; ac purissimæ nobilitatis potissimum argumentum, cum omnes antiqui populi, aut sacerdotum Imperio regerentur, aut sine sacerdotio nemini regna committerent; è contra mercatura, vt Plato, & Aristoteles affirmant, semper malè audiuit, opprobrioq; & detractioni nunquam subiecta nō fuit. Vnde simillimum vero est, apud nullas omnino gentes, sacerdotes mercaturę operam dedisse. In Ecclesia verò (argumentum quod me maximè mouet, & quod puto omnes christianos mouere debere) ab incunabilis eius ad hanc vsq; diem semper mercatura prohibita Clericis, nullumq; (incipieendo à Canonibus Apostolorum vsquè ad postremum Aquileiense) penè extat Concilium in quo pœnę contra clericos mercatores non innouentur. Quare hęc prohibitio saltem dici debet de Iure gentium, q supra demonstraui, esse verè, & propriè naturale.

Igitur si Aduersarij volunt, præcepta naturæ fundari in gentium consensu, constat, si in naturali congruentia actuum, finium, munerum, incongruentiam habent; si in honestate, & inhonestate, decentia, & indecentia; habent inhonestatem, & indecentiam; si in necessitate simpliciter, etiam necessitas simpliciter demonstrata est. Reliquum igitur est, vt ingenuè manus dent veritati, & prohibitionem hanc, qua de agimus, confiteantur, moralem esse, & de Iure naturæ, quod nobis demonstrandum erat. Nunc ad obiectiones eorū diluendas accedamus.

Soluuntur obiectiones Aduersariorum.
CAP. X.

1 ARgumentum. Est axioma D. Thomæ, omnium Theologorum consensu receptum, quod lex noua est conten- ,, ,,

„ ta præceptis moralibus legis naturalis, articulis fidei, & Sacra-
„ mentis gratię. Sed ad nullum istorum Capitum redigitur pro-
„ hibitio illa, ergo à lege noua non potest habere vim pręcepti.

Respondetur; falsam esse minorem, vt copiosè capite præcedenti probatum est, pertinet enim ad legem Naturæ, & est præceptum morale proprijssimè acceptum. *Præcepta quæ in seruitutem, & signum data sunt illis*, inquit S. Irenęus lib. 4. c. 31. *circunscripsit nouo libertatis testamento; quę autem naturalia, & liberalia, & communia omnium, auxit, & dilatauit.*

2 Victoria ait, in lege noua nullum esse præceptum morale ne-
„ gatiuum. Hoc si esset morale, esset negatiuum. Et ideo fal-
„ sum esset dictum Victoriæ.

Respondetur. Concedimus errasse Victoriam, nequè enim tanti facienda eius auctoritas, vt de eo libere dicere nequeamus, quod de cæteris Scolasticis, immo & de Patribus ipsis, interdum licet, interdum fateri, necesse est. Quod si maturius eam considerasset, fortè assertionem illam sibi continuisset moderandam. Et certè nimia esset apud Scholasticos Tyrannis, velle coarctare cæterorum ingenia ad iudicium Victorię, quando nequè D. Thomæ, nequè D. Bonauenturæ opinionibus, (qui tamen sunt Ecclesię Doctores, quorum dignus non est Victoria, vt soluat corrigiam calceamentorum,) hic honor habeatur. Quod si quis à Victoria quæsisset, an præcepto Diuino interdicatur nobis commercium hæreticorum, & excommunicatorum, non negasset, opinor. Attamen in illis Apostoli ad Tit. 3. 10. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita*, habetur prohibitio prior. Posterior in Matth. 18. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut, ethnicus, & publicanus.* Non ne negatiuum pręceptum est, quo prohibemur indignè accedere ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum? Attamen habet hoc ipsum Apostolus 1. Cor. 11. *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini*; vt omittam prohibitionem repudij, & alia permulta.

3 Argumentum. Ius naturale est, quod natura omnia anima-
„ lia docuit l. 1. ff. de iust. & iur. quis verò ita desipiat, vt dicat
„ omnes animantes cognoscere non debere clericos negociatio-
„ nem exercere?

Respondeo. Hæc definitio iuris naturæ supra expensa est, & hæc obiectio soluta. Cap. 4. §. *& certè neq;* num. 11.

4 Argumentum. Ius naturæ est, quod commune est omni na-

tioni

tioni, & quod vbiquè instinctu naturæ, nō constitutione aliqua ,,
habetur c. Ius naturale 1. dist. Talis non est prohibitio nego- ,,
ciationis clericorum ergo. ,,

Respondeo hæc definitio iuris naturæ eodem Cap. 4. reiecta est §. *fallit definitio.* num. 12.

5 Argumētum. Si negociatio laicis licita Clericis illicita esset, ,,
id oriri deberet ex eo, in quo clericus distinguitur à laico. Di- ,,
stinguitur porrò clericus a laico, per statum, vel dignitatē cle- ,,
ricalem, & distinguitur per officium. At neq; ratione status, ,,
neque ratione officij prohibetur clericis negociatio ergo, &c. ,,

Probat minorem. Non ratione status, & dignitatis, quia ex ,,
clementina prima de vita, & honest. cler. licet clerico per alium ,,
exercere artem tabernariorum, & macellariorum. ,,

Respondeo: Decipi, & Dominum meum, & quot quot ex canonistis, & Theologis hòc ipsum dixerunt de clementina illa; vt laté cum glossa supra probatum est cap. 9. à §. *Postremo* D. A. num. 11. vsque ad §. *Sed faciamus.* num. 14.

Probat eandem minorem ratione officij, quia clericis licet ,,
ludere venari, piscari, describere libros, colere agrum, ædifi- ,,
care aluearia, quando his non impediuntur à suo munere. ,,
Ergo ex principio per se noto non potest deduci, quod cleri- ,,
cis non liceat negociari, quando negociatio eorum officio im- ,,
pedimento non sit.

Respondetur. Hoc argumentum solutum est supra Cap. 9. à §. At *vtcumquè* vsque ad §. *Postremo* D. A. num. 7.

6 Argumentum. Ius gentium est positiuum, sed multo magis ,,
ius gentium insitum est à natura, & profectum à lumine natu- ,,
rali, quàm quod clerici non debeant negociari. Ergo si illud ,,
est iuris positiui, multo magis hoc. ,,

Respondetur. Hoc argumentum solutum est supra, & demonstrata falsitas, maioris propositionis Cap. 4. §. *& certè neque* num. 11. & Cap. 5. §. *Hoc supposito*, num. 11. & deinceps, vsquè ad calcem capitis.

7 Argumentum. Ius naturæ est indispensabile. At contra ,,
hanc prohibitionem Summi Pontifices dispensare possunt, & ,,
dispensarunt. Ergo non est de iure naturæ. ,,

Respondeo maiorem falsam esse, vt totis capitibus 6. & 7. probatum est.

8 Cum concessissem, negociationem clericis non esse ita malam, vt non interdum, (rarò tamen, & per accidens,) amit-

tere

tere possit suam deformitatem, inferebant, me conecedere quoq; debere hanc prohibitionem esse positiuam. Lex enim quę fundatur in præsumptione, est positiua, omnium consensu, quia quæ fundatur in pręsumptione, non prohibet id, quod est malum, sed quod præsumitur malum. At lex naturalis est eorum solum, quæ sua natura sunt mala. Ergo lex naturalis non potest fundari in præsumptione.

Respondeo. Lex quæ fundatur in sola pręsumptione, & non in natura, & essentia rerum, est verè positiua. Quæ verò fundatur in natura actus, & agentis, & in naturali incongruentia, & repugnantia eorum inter se, quam saltem regulariter habent, & vt plurimum, hęc non est positiua, sed naturalis, nequè fundatur in pręsumptione, sed in rei veritate. Iam centies repetita sunt pręcepta de secreto, de deposito, de iureiurando, de voto, de Polygamia, aliaquè permulta, quæ ita se habent. Talis ergo cum sit nostra hęc prohibitio, naturalem esse eam, consequens est.

Cæterum inquiunt. Lex positiua est eorum, quæ ideo sunt mala, quia prohibita. At ea quę in se non sunt mala, sed pręsumuntur mala, sunt mala non ex se, sed quia prohibita. Ergo sunt iuris positiui. Additur confessio mea, qui dixi, negociationem clericorum interdum esse posse bonam; seclusa lege positiua. Id quod non est malum, nisi quia prohibitum, est iuris positiui, vt omnes Theologi docent. ergo iure positiuo prohibita est clericis negociatio.

Respondeo. Hæc eadem ratio militat contra innumera pręcepta moralia, cuiusmodi sunt de Polygamia, repudio, fornicatione, voto, iureiurando, deposito, fidelitate, sexcentaque supra recensita. Propterea ad iudicium ferendum de differentia legum, spectandum non est, quod raró, & per accidens fit, vt millies à Diuo Thoma dictum, sed quod communiter, regulariter, & vt plurimum. Quo spectato in nostra controuersia, citra controuersiam prohibitio negociationis est de lege naturæ, est enim de re, quæ considerata secundum se, circumscriptaq; omni prohibitione positiua, regulariter, communiter, & vt plurimum mala est.

9 Matrimonium non interdicitur clericis iure Diuino naturali. Ergo neq; negociatio.

Probatur consequentia. Primum quia permulti aut non aliter viuere sciunt, quā ex negocij lucro, aut turpiora exercere cogun-

coguntur ad sustentandam familiam. Quarè si iure naturali „
matrimonium non prohibetur clericis, neque prohibetur eis, „
quidquid cum matrimonio coniunctum est. „

Respondeo ex Innocentio 3. c. *Ioannes de cleri.coniugatis*, vbi prohibet Episcopo Pictauien. ne cogat Clericum coniugatum portare tonsuram clericalem; quia inquit, *cum eum oporteat sæcularibus negocijs immisceri, tonsura ipsius sęcularia exercentis, videretur profecto in misterij nostri vituperium redundare*. Si vero ecclesiasticum beneficium haberet, vnde viueret, non negat illi tonsuram. Sensit ergo Pontifex, pugnare, ex diametro ministerium Clericatus nostri cum sæculi negociationibus, propterea, etsi matrimonium secundum se, & ex genere Clericatui non repugnat; (quod tamen S. Hieronymus non concedit) repugnat tamen ex appositione istius circumstantię.

Probatur eadem consequentia 2. quia amor, & onus familię, „
& vxoris non minus auocant animum à Cœlestibus, quam ne- „
gociatio. „

Respondeo, quod matrimonium habet pro fine generationem prolis religiosè educandę, ad cultum Diuinum, & est sacramentum, quæ duo secundum se bona sunt. Præterea est remedium fornicationis, quam cauere necessarium est, ad hoc vt benè, & congruenter Deo ministretur; spectata tamen naturæ nostræ fragilitate, eam cauere, difficillimum est; quare si quid incommodi capit à matrimonio officium Clericatus, bonis proprijs istius Sacramenti compensatur. Negociatio verò spectata secundum se, nihil honestum, vel necessarium habet pro fine, nihil quod secundum se vlla ex parte conducat ad finem Clericatus. Quare eius incommoda nullo commodo compensantur. Idcirco consequentia non currit.

Militia non est prohibita Clericis iure naturæ. Ergo nequè „
negociatio. Antecedens latè probat Nauar. lib. 1. Consil. de „
ijs quę vi conf. 2. à num. 9. & deinceps consequentia patet, quia „
militia magis abstrahit animum à diuinis, quàm negociatio, plus „
occupat corpus, & magis repugnat functionibus clericalibus. „

Respondeo ad consequentiam primo, deinde ad antecedens. Dixi iam cum S. Thoma, quòd repugnantia, quæ est inter Clericatum, & negociationem, non est tantummodo ratione distractionis, sed etiam ratione status, quia negociatio secundum se est res fœda, turpis, & vituperanda, & quia non ordinatur ad finem secundum se honestum, vel necessarium, ideo habet

spe-

ſpeciem mali. Clerici autem ratione ſui ſtatus debent eſſe contemptores non modo rerum quæ ſecundum ſe malę ſunt, ſed & earum, quæ turpitudinem, & ſordes, habent annexas, ac ſpeciē mali. Militia verò eſt ars nobiliſſima, honeſtiſſima, optima, in virtute conſiſtit, nullamq; ſecundum ſe habet ſpeciem mali, ſed eius finis ſecundum ſe honeſtus eſt, & neceſſarius. Idcirco ratione ſtatus non habet eam repugnantiam cum Clericatu, quam habet negociatio. Quare conſequentia ex hoc capite claudicat.

Secundo. Reſpondeo quod antecedens eſt falſum, & falſitatem eius demonſtro ſecundum S. Thomam 2.2. q.40. a. 2. locus, quem aduerſarij ſuę ipſorum ſententię patrocinari opinantur. Argumentum fundamentale S. Doctoris eſt hoc. Secundum dictamen rectæ rationis nulli deputato ad aliquod officium maius, licet id, per quod ſuo officio incongruus redditur. Sed bellum ſecundum ſe reddit Clericos incongruos ad ſuum miniſterium. Ergo ſecundum dictamen rectæ rationis Clericis bellum gerere non licet. Probat. S. Doctor vtramquè propoſitionem. Exemplo maiorem; quia leges humanæ, & Ciuiles prohibent militibus negociationes, nulla alia de cauſa certé, niſi quia repugnat militibus negociatio, eo quod eos reddit incongruos bello gerendo.

Minorem duplici ratione, altera generali, altera ſpeciali. Ratio generalis eſt communis bello cum negociatione. *Quia bellica exercitia habent maximas inquietudines, vnde multum impediunt animum à contemplatione Diuinorum laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent Clericorum. Et ideo ſicuti negociationes propter hoc, quod nimis implicant animum, interdicuntur Clericis, ita, & bellica exercitia, ſecundum illud 2. ad Timot. 2. nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotijs.* Hæc eſt ratio generalis S. Doctoris. In qua obſeruo duo, primum, & clariſſimum, quod tribuit vim prohibendi huic loco Epiſtolæ ad Timotheum, quod certè nulla tergiuerſatione negari poteſt. *Prohibentur Clericis*, inquit, *ſecundum illud 2 ad Timoth. 2.* Secundum, quod nō dicit, bellare, & negociari Clericis mala eſſe, quia prohibita, ſed prohibita quia mala. Malum enim eſt, vt probaui cap. 5. quod habet rationem impedientis, & incongruentis, quæ autem prohibētur, quia mala, ſunt de iure naturæ.

Neque obſtat, vt toties dixi, quod negociatio, & bellā nō ſunt ſecundū ſe mala, & ex genere, quia omnibus hominibus eſſent illicita. Non obſtat inquam, quia vt toties dixi cum S. D. Bonum,

rum, & malum in actibus sunt relatiua ad agentia, & ideo secundum diuersitatem agentium dicuntur natura boni, mali, indifferentes. Quod homini in genere est indifferens, alijs erit iure naturæ bonum, alijs eodem iure malum. Vnde S. Thom. eod. art. ad 4. *Sicut matrimonialis actus potest esse meritorius, tamen virginitatem vouentibus damnabilis redditur propter obligationem eorum ad maius bonum. Sic licet exercere bella iusta sit meritorum*, & negociari secundum se peccatum non sit, *tamen vtrumque ex circumstantia personæ illicitum redditur Clericis, propter hoc, quod ad opera magis meritoria sunt deputati.* Homině vxorem ducere, malum non est, immò res bona, & necessaria ad conseruandam speciem. At patrem ducere filiam, fratrem sororem, coniugatum aliam quancumq; est natura malum.

Neq; obstant obiecta Nauarri. Non primo. Quod si prohiberetur iure naturæ, nunquam licuisset sacerdotibus bellum gerere. Supra enim ostendi. Ius naturæ ex circumstantijs variari posse, & eius præcepta secundaria in particulari deficere.

Non secundum. Quod neq; est principium per se notum, nequè conclusio deducta in bona consequentia ex aliquo per se noto. Ergo non est de iure naturæ.

Nam ostensū est, deduci hoc in bona consequentia ab illo primo principio; *Ius suum tribuendum cuiq;* Adde, quod licet non foret conclusio deducta per consequentiam necessariam ab vllo principio primo, & per se noto, sat esset, quod talibus principijs sit consentanea, & congruens, vti est, ex prædeclaratis.

11 Si prohibitio negociandi Clericis esset ex lege naturę, ad aliquam virtutem redigeretur. Ad nullam redigitur; ergo. Probatur minor. Quia si ad aliquam, ad religionem maximè. At ad hanc non redigitur. Quia negociatio secundum se non habet annexam aut iniuriam Dei, aut contemptum rerum sacrarum, alioquin neq; in casu necessitatis liceret, & Clericus distinguendo tempora, vt inquit Nauarr. potest concordare actiones.

Respondeo. Lex naturalis in humanis actibus, vt docet S. Thomas, non solum præscribit, ac dictat substantiam actus, & quæ ei necessaria simpliciter sunt, sed etiam quę ad modum eius pertinent, nempe vt fiat benè, decenter, & honestè, & consequenter modum contrarium prohibet, quando talis prohibitio moraliter saltem necessaria est. Quare cum ratio naturalis dictet: Deum summa seruitute per determinatos ministros esse colendum, præscribatq; maximum honorem, quem humana natura

potest eidem Numini tribuere, per eosdem ipsi tribuendum. Non solum hoc dictabit, sed ẽt dictabit, benè hoc ab eis agendũ esse, decenter, & congruenter, & cõsequẽter modũ cõtrariũ prohibebit, quando moraliter saltem talis prohibitio necessaria erit. Incongruum autem primo, & indecorum est secundum se, mancipiũ vilissimi mammonę esse sacratiorem ministrum Dei altissimi, neq; enim fas est, vt dicebam, eundem esse mulionem regis, & pincernam eiusdem. Deinde propter varias curas, & distractiones, quas secum fert negociatio, quæ regulariter animum à cœlestibus auocãt, neq; illum affixũ esse patiuntur Deo, & Cœlo, quod secundum dictamen rectæ rationis requiritur, vt Deo bene seruiatur, & maiestas eius cum debita proportione à nobis colatur. Vnde dicebat Christus: *Nemo potest duobus Dominis seruire. Et non potestis seruire Deo, & mammonæ.* Idcirco, etiãsi prohibitio negociationis nõ videatur simpliciter necessaria ad substantiam seruitutis, & ministerij Clericalis, nihilominus ad honestatem, & bonum vsum officij Clericorũ est moraliter necessaria, & ideo Religioni lege naturæ præscripta. Quod vel scitè admodum, & appositè commonebat Symbolum illud Pythagoræ: *Nudis pedibus sacrifica, & adora.*

" Neque obstat, vt millies dictum est, quod hæc incõmoda per
" humanã diligentiam, & prouidentiã interdũ, & in particulari vi-
" tari possint, tẽpora distinguendo, vnde accidẽtaria videantur.

Si enim moraliter loquamur, spectata humanæ naturæ conditione, & fragilitate, tam intrinsecè sequuntur, vt vix possint humano modo vitari, & ideo eorum prohibitio est moraliter necessaria. Propterea benè dicebat Concilium Francofordiense supra citatumq: *Nemo sibi blandiatur, quod vtrumque possit, & Deo, & Mundo seruire, quia veritas est, & mentiri non potest, quæ hoc fieri non posse, testatur.*

Esto tamen, possint aliquando vitari, hoc nihil obstat, Quia vt dixi, lex non respicit ea, quæ fiunt rarò, sed quod ex natura rei, quod regulariter, frequenter, & vt plurimum.

" Ad id quod dicitur, quod si haberent annexam, irreligiosita-
" tem, neque in casu necessitatis liceret.

Respondeo Quod consequentia non tenet. Nam ex circumstantia necessarij multa fiunt licita, quæ regulariter Iure naturæ sunt illicita, vt in terminis docet Suarez de Relig. lib. 3. de Reuer. deb. locis Sac. c. 7. n. 3. sic verò prodere secretum, frangere fidem, non reddere votum, retinere depositum, occidere priuata auctoritate, non seruare Ius iurandum, & similia.

At

At inquiunt, ſi negociatio Clericis eſſet illicita, hoc eſſet vel „
ratione characteris, vel ratione miniſterij. „

Reſpondeo cum D. Thoma, ratione ſtatus, & ratione miniſte
rij, & exercitij Clericalis.

Vrgent, quod Clericus poteſt miniſtrare debito modo, & „
cum omnibus circumſtantijs requiſitis, quia nec ſemper diſti- „
netur actibus negociorum, neque curæ negociorum ita impe- „
diunt animum, vt nunquam ſacrum miniſterium ad præſcri- „
ptum legis naturæ exerceri patiantur. „

Reſpondeo quoties audiuimus verba *illa : interdum poteſt, ſemper non impeditur*, & ſimilia, reciprocanda nobis ſemper ſerra per eandem lineam, & ideo valeant.

12 Non eſt prohibitum Clericis peculiari præcepto occidere, „
furari, latrocinari, & huiuſmodi, itaut hæc agendo committant „
duo peccata, alterum contra præceptum homicidij, vel furti, „
alterum contra præceptum, quod Clericis proprium ſit, non „
commune cum laicis. Sed ratio naturalis non magis dictat, „
prohibitam eſſe negociationem Clericis, quam furtum, aut ho- „
micidium, ergo nullum eſt præceptum naturale, quo prohibea- „
tur negociatio Clericis. „

Reſpōdeo, Hoc argumentū vitioſum eſt, & eorū, quæ Græci ἀντιστρέφοντα dicūt. Latini, vt Gellius, reciproca; Nimirū ęque petit opinionem Aduerſariorum, atque noſtram; ſcilicet iiſdemmet verbis Aduerſarij dicam. Non eſt prohibitum clericis peculiari præcepto poſitiuo, occidere, furari, latrocinari, & huiuſmodi, itaut hæc agendo committant duo peccata, alterum contra præceptum homicidij, vel furti, alterum contra præceptum, quod Clericis proprium ſit, non commmune cum laicis. Sed ratio naturalis non magis dictat, prohibitam eſſe negociationem Clericis, quam furtum, aut homicidium. Ergo nullum eſt præceptum poſitiuum quo prohibeatur negociatio Clericis. Confirmatur. Quia ad mentem S. Tho. alius ſpeciei eſt malum, quia prohibitum, alius prohibitum, quia malum. Quare ſi negociatio prohibeatur Clericis iure ſimpliciter poſitiuo, in negociatione eorum iniuſta concurret vtraq; malitia. Nam quatenus negociatio erit eis mala, quia prohibita; quatenus iniuſta, prohibita, quia mala. Proinde ſi cōceſſero aduerſario quod contendit, duplici peccato Clericus iniuſte negocians erit obnoxius. Hoc autē illi abſurdū, & falſum, eſt; idcirco falſum & abſurdum etiā, ꝙ negociatio prohibeatur Clericis iure ſimpliciter poſitiuo.

Addit

13 Addit D.B.confirmationem,quæ ſcriptoris,opinor,vitio mihi mutila eſt,eam tamen,vtcumque potero, integram reddere conabor.

„ Si per furtum, aut homicidiũ impediatur Clericus ab officio
„ ſuo,committit duo peccata,ſin minus vnicũ tantum contra præ
„ ceptũ vel furti,vel homicidij. Ergo & negociatio iniuſta, ſi non
„ impediat Clericum ab officio ſuo,eum vnius tantum peccati in
„ iuſtitiæ reum facit, Et per conſequens nullius,ſi deſit iniuſtitia.

Reſpondeo.Circũſtantia perſonæ,ſicut, & aliæ circũſtantiæ actuum humanorum,vt ſupra cap.7. dictum eſt, quandoque dat ſpeciem actui morali, quandoque non. Quando eum, qui ſecundum ſe eſt indifferens, reddit vel bonum,vel malum,ſemper dat ei ſpeciem, vt eodem cap.num.2.obſeruauimus ex S.D. Quando autem actum ſecundum ſe malum, & ſpecificatum reddit dumtaxat peiorem, non ſemper dat ei nouam ſpeciem, ſed ſolum modo,vt S.Thomas ibidem dicebat, ſi reſpiciat ſpecialem ordinem rationis. Hinc eſt, quod non eſt par ratio de Negociatione, furto, & homicido. Negociari enim ſecundum ſe malum morale non eſt,ſed actio indifferens,quæ propterea ſpeciem boni,vel mali ſortitur a perſonis,materia,loco, tempore,modo &c.quibus debet proportionari. Idcirco ſi exerceatur a perſona,cuius ſtatui repugnet ſecundum ſe,mala regulariter eſt, & peccaminoſa, & conſequenter a tali circumſtantia ſpeciem recipit, quam vero ſpeciem, mox dicam. Si ruſticus, & pauper vineam ciuis fotum eat, vt inde decem obolos lucretur,nihil mali agit.Si Princeps,& diues,auaritia notabitur, quia Maieſtatem Principatus tale lucrum dedecet. Si Clericum inermem hoſtis armatus diſtricto adoriatur gladio, Clericus inculpate,& honeſte dabit terga. miles armatus non abſque timiditatis culpa. Actus ergo ſecundum ſe, & ex genere indifferentes non raro ſpecificantur ad hanc, vel ad illam virtutem, ad hoc, vel ad illud vitium ex circumſtantia perſonæ. Furtum autem, & homicidium ſunt actus ex genere ſuo deformes,& mali, & ideo a nemine penitus bene fieri poſſunt, & a quocumque fiant, male fiunt. Propterea circumſtantia perſonæ,quæ iam actus furti, & homicidij ſpecificatos reperit, & redactos ad iniuſtitiam, aggrauare quidem poteſt iſta peccata,at neceſſarium non eſt,vt ſemper det illis nouas ſpecies.Grauius peccat Clericus,quam laicus,fur, & homicida,grauius Princeps,quam Subditus, nihilominus non transfert circumſtantia

per-

personę istęc peccata regulariter ad alias nouis species. Potest tamen. Nimirum si Clericus paupertatem professus furetur, peccat duplici peccato, contra iustitiam particularem, & contra Religionem.

14 Ad hæc nomina furti, & homicidij dicunt actum moralem deformem; homicidium, non quamcumq. occisionē hominis, sed iniustam; Furtum contrectationem rei alienæ, non quamcumq. sed inuito Domino cum fraude, & dolo. Idcirco significant actus deformes, & iniustos ex incongruentia tum materię, tum modi; Homicida enim occidit quem non debet, & quomodo non debet; Fur attrectat quod non debet, & quomodo non debet. Si duabus hisce deformitatibus addantur aliæ, nempe temporis, loci &c. possunt sortiri alias peccatorum species. Si .n. homicida, & fur hoc, vel illud perpetrentur tempore, quod alicui muneri debeant ex Virtute, tunc etiam peccant in illam Virtutem, cui desunt. Idcirco Clericus fur, vel homicida si hoc vel illud committat, dum tenetur recitare officium, aut celebrare Missam, non solum peccat contra Iustitiam ex furto, & homicidio, sed etiam contra Religionem ratione temporis, quod huic Virtuti debebat. In negociatione Clerici iniusta tempore debito muneri Clericali, tres sunt deformitates. Prima personę, cui negociatio in genere repugnat ratione Status. Secunda deformitas est modi, qui Iniustitiam inuoluit. Tertia est temporis, quod Virtuti Religionis debetur. Idcirco non sequitur: si Clericus non negocietur vel tempore debito muneri suo, vel iniuste, eum non peccare, quia remanet adhuc prima deformitas ex circumstantia personæ Hæc circumstantia, quæ negociationem in genere specificat, quoniam ex indifferente reddit malam, & auaram, quia Clericus negociator lucratur vnde non debet, quod auarum est, regulariter non specificat furtum, & homicidium, etiamsi vtrumq. magis repugnet gradui Clericali, quā negociatio Ratio est, quia isti non sunt actus indifferentes, sed mali ex genere, & s͞m se, & ideo persona non reddit eos malos, sed peiores, & grauiores tantum, ita tamen, vt malitia, quā eis addit, eos & in sua propria specie Iniustitiæ relinquat, neq. regulariter ad aliam traducat, aut sub alia constituat. Ab vnitate autem, & pluralitate deformitatum simpliciter perperam colligitur pondus, & grauitas peccatorum simpliciter. Nemo enim est qui nesciat: Vnicum aureum decem obolis pręponderare; & monstrum (quod est peccatum naturæ) biceps, vel ca-

pite canino esse magis deforme, quam si quatuor manus, vel quinquaginta digitos habeat. Pergit D. B.

15 Si prohibita esset Clericis negociatio Iure Naturæ, quando ,, Clericus exercet negociationem Iniustam, committeret duo ,, peccata, alterum quatenus exercet negociationem, quæ illi ,, etiam licita prohibita est; alterum Iniustitiæ, quia exercet ne- ,, gociationem iniustam.

Respondeo. Et hoc argumentum ἀντιστρέφον est; dicam enim Si prohibita esset Clericis negociatio Iure positiuo, quando Clericus exercet negociationem iniustam, committeret duo peccata; alterum quatenus exercet negociationem, quæ illi etiam licita ex lege prohibita est; alterum iniustitiæ, quia exercet negociationem iniustam. Quare aut hoc argumentum nihil omnino concludit, aut concludit, nullo penitus iure negociationem Clericis prohiberi, quod nemo mentis compos affirmauerit. Hactenus refelli tria hæc argumenta cõglobata per fiduciariam, vt aiunt, reprobationem, supponendo nimirum ea principia, quæ D. B præscripsit sibi; ostensiuè nunc cum eo agẽda mihi res est.

16 Supposuit D. B. in superiori argumentatione nonnulla, quæ cũ Philosophia, & Theologia morali satis cõponere nequeo. Primum fuit, Clericum furem, latronem, & homicidam vnico tãtum Iniustitiæ peccato obnoxium esse, hoc autem falsum est. Virtutum scilicet moralium, ex sententia cum Philosophorum, tum Theologorum aliæ versantur circa passiones, & affectus internos animi humani, vnde operationes externæ progrediuntur; aliæ circa res tantum, & operationes externas, in quibus attenditur ratio debiti, & indebiti ad alterum. Hæ ad Iustitiam, illæ ad cæteras morales rediguntur. *Contingit autem*, inquit S. Thom. 1.2.60. 2. *quod in operationibus, quæ sunt ad alterum, prætermittatur bonum Virtutis propter inordinatam animi passionem, Et tunc in quantum corrumpitur commensuratio exterioris operationis, est corruptio Iustitiæ; inquantum autem corrumpitur commensuratio interiorum passionum, est corruptio alicuius alterius virtutis. Sicut cum propter iram aliquis alium percutit, in ipsa percussione indebita corrumpitur Iustitia in Immoderantia vero Iræ corrumpitur mansuetudo*, Et 2. 2. 58. 11. 2. *Rectificatio operationum sm̃ quod ad exteriora terminantur, pertinet ad Iustitiam. Sed rectificatio earum secundum quod a passionibus oriuntur, pertinet ad alias Virtutes morales, quæ sunt circa passiones. Vnde Surreptionem alienæ rei Iustitia*

impe-

impedit, inquantum est contrà æqualitatem in exterioribus constituendam, liberalitas vero inquantum procedit ab immoderata concupiscentia diuitiarum. Regulariter ergo in furto, & homicidio sunt plures deformitates specie differentes, sicut specie differentes sunt Virtutes, quibus opponuntur.

17 Secundum suppositum Domini B. erat, absurdum esse, concedere in negociatione Clerici iniusta duas peccati deformitates; hoc autem tantum abest, quod absurdum censeri debeat, vt nihil verius, & speciatim si concedamus: negociationem Clericis humano tantum iure prohibitam esse, vt ipse contendit. Immo dico, in negociatione Clerici iniusta regulariter tres specie diuersas deformitates concurrere. Per actionem externam iniquam violatur Iustitia; Per inordinatum amorem pecuniæ Liberalitas; ex distractione à munere Clericali, quæ regulariter sequitur talem actum, ac ex repugnantia, turpitudine, & indecentia eius cum statu Clericali, Religio.

18 Tertium suppositum Domino B. erat, homicidium, latrocinium, & furtum, non prohiberi peculiari præcepto Clericis, itaut hęc agendo committant duo peccata, alterum contra prę- ceptũ homicidij, vel furti, alterũ contra pręceptũ q Clericis proprium sit, non commune cum laicis. Hoc autem quod de homicidio dicit (vt de ceteris non disputem, quæ certè habent & ipsa suas distractiones, repugnantiam vero longe maiorem cum Clericatu quã negociatio) aperte pugnat cum sententia S. Thomæ 2. 2. 40. 2. & cum communi. Ibi quippe S. D. ostendit, non solum homicidium, quod iniustam occisionem significat, sed quamcumquè effusionem humani Sanguinis speciatim pugnare cum clericatu, eiq. ideo vniuersim prohibitam. Idcirco clericus homicida duplicis deformitatis reus est. primum quia hominem occidit, quod laico licitum, illi etiam ex clericatu illicitum est, deinde quia iniuste occidit, quod omnibus illicitum est. Et ita explicatum, & intellectum volo quod istis de rebus perfunctoriè satis, & implicite à me scriptum est c. 1. num. 14.

19 Affert præterea hæresim Lutheri, Caluini, VValdensium, qui " dixerunt, nullum esse Ius positiuum, sed omnia esse Iuris natura " lis. Ac demum ait: nullum assignari posse dictamen positiuum, " si hoc, de quo agimus, est Iuris naturalis, & diuini. Quod enim, " inquit, aliud dictamen fingi potest extra ius naturale, si hoc, " quod alienissimum est à natura, quod nulla ratio prohibet, po- "

tius,

„ tius quam quodcumq.aliud opus, dicamus eſſe Iuris naturalis?

Reſpondeo. Quod ſi perpenderit, quæ capite præcedenti explicata ſunt, facile viderit, quantum à dictamine naturæ receſſerit hæc eius coniectura. Eademq. facilitate contra eum ſic retorqueri poſſet hoc eius argumentum. Error Epicuræorum fuit, quod nulla Iura ſunt naturalia, ſi vero hoc, quod, vt demonſtratum eſt, habet tantam connexionem, & adeo neceſſariam cum principijs legis naturæ, naturale non eſt, quodnam aliud naturale eſſe poterit?

20 Addit inſuper neſcio quid de nomine determinationis, vnde planè conijcio, ipſum apertiſſimè æquiuocare in ſignificato determinationis poſitiuæ, cuius explicatio petenda eſt ſupra à
„ cap.5. Inquit enim, quod etiamſi Iure naturæ prohibita eſſent
„ Clericis negocia ſæcularia in genere, & indefinitè, per modum
„ determinationis hoc dictamen vniuerſale à Pontificibus deter-
„ minatum eſt ad negociationem potius, quam ad alia negocia
„ ſæcularia, cuiuſmodi ſunt officiū Aduocati, Procuratoris, Iudi-
„ cis, ſtudium litterarum, cultura agrorum, &c. huiuſmodi, vt pa-
„ tet ex c. multa ne cler. vel Monach. Quis igitur, inquit, negare
„ poteſt Iure poſitiuo à lege Pontificia vetitum eſſe Clericis ne-
„ gociari, non lege naturali, & diuina?

Sed velim, vt Dominus meus recordatus eſſet, quodnam munus ſit epijkiæ, & quid de ea poſt S. Thomam, & Ariſtotelem doceat P. Suarez locis ſupra citatis. Nimirum quando aliquod præceptum vniuerſaliter fertur, quod tamen iuxta mentem Legislatoris vniuerſaliter ligare non poteſt, Iudex illius legis ex epijkia coarctat illud ad mentem Legislatoris. Sic etiam in præceptis moralibus, quæ in lege poſitiua promulgata ſunt vniuerſaliter, ſicut illud: *Non occides: Vota reddes: Reddes depoſita; fidem ſeruabis:* & ſimilia, neq; tamen vniuerſaliter eis Deum ligare nos velle, certi ſumus, eius eſt, qui diuinæ legi à Deo Iudex præfectus eſt, declarare, quibuſcum circumſtantijs intendat ligare nos Deus. Illæ verò conditiones, cauſæ, & circumſtantiæ, quæ non excipiuntur, & ad quas coarctatur præceptum ex epijkia, illæmet ipſæ ſunt, in quibus conſiſtit merum, verum, & purum Ius naturale, & obligatoria Diuinæ legis. Sic, *non occides* limitatur ad priuatam auctoritatem, cauſam iuſtam, &c. Vbi verò declaratum eſt, præceptum illud intelligendum eſſe ad mentem Dei de priuata auctoritate, & cauſa iuſta, determinatio illa efficit, vt occidere quemquam priuata auctoritate, & ſine cauſa iu-

ſta,

ſta,non ſit prohibitum Iure poſitiuo, ſed Iure naturaliſſimo, & propria lege naturæ: Dum ergo Dominus meus B.fatetur,Pontifices declaraſſe, & determinaſſe vniuerſale præceptum morale de non negociando in clericatu ad ſolam negociationem mercatoriam,fateatur conſequenter,hanc negociationem prohibitam eſſe Iure naturæ proprijſſimè accepto.

21 Poſtremo obijcitur, ſi negociatio ſecundum ſe Clericis ma- „ la eſſet, id maxime eueniret, quia non poſſet purgari à crimine „ auaritiæ,& cupiditatis. At hoc eſt falſum,quia ſi poſſunt Laici „ exercere illam ſine auaritia,vt docet S. Thomas dirigendo eam „ ad finem aliquem honeſtum, vel neceſſarium, cur hoc ipſum „ non poterunt Clerici? „

Reſpondetur.Per neceſſitatem,cum S.Thoma concedimus, purgari negociationem Clericorum à nota cupiditatis. Qui enim appetit,quód neceſſarium eſt,ſi cætera ſeruet, quæ honeſtati actuum humanorum neceſſaria ſunt, non appetit pluſquã oportet,in quo conſiſtit ratio cupiditatis. Cæterum ſeclusa neceſſitate, Clericus negociator ab illiberalitate,ſeu cupiditate excuſari nõ poteſt.quia cupiditas,ſeu illiberalitas eſt, non ſolum colligere pecuniam pluſquam oportet (tunc enim facilè induit ſpeciem iniuſtitiæ) ſed etiam colligere quantum oportet quidem,ſed non vnde oportet,vbi oportet,quando oportet, quomodo oportet &c.qui enim colligit,aut vbi,aut quomodo, aut quando,aut vnde &c.non oportet,etiam ſi appetat,& colligat quantum oportet, appetit pecuniam pluſquam oportet, & aliter eam proſequitur, quam recta ratio præſcribit, quod ex Ariſtotele,& Scholaſticis illiberale,& auarum eſt.Cum ergo Clericus,nulla neceſſitate cogente, ex mercatura, quæ muneri, & dignitati eius incongruit, proptereaque ei prohibetur, lucrum quærit,quærit pecuniam,vnde,quando,& quomodo non oportet,idcirco illiberalitati, & cupiditati obnoxius eſt. Benè ob id Bleſenſis dicebat,quod talis Clericus *eſt filius auaritiæ, Idololatra pecuniæ,ſeruus mammonæ,venundatus ſub peccato*. Eidem peccato obnoxij erant,qui oues,boues,& columbas vendebant in templo,non quia venderent ea pluſquam valerent, & pluſquam oporteret,ſed quia vendebant vbi non oportebat,& ideo auaritiæ eos arguit Chriſtus latronũ nomine ipſos interpellans.

Habetis iam,optimi,& pijſſimi Iudices,quid vtrinque dictum in hac controuerſia:reliquum modo eſt, vt pro ſingulari ſapientia,& integritate veſtra vtriuſque partis auctoritates,&rationes

ex-

expendatis,& cui Pietas,Veritas,Sanctitas,Antiquitas, Consensio propendent magis ei per vos causa adiudicetur. Ita multorum saluti consuletis,prospicietisque gloriæ,& honori Domini Dei,splendoriquè,& ornamento Ecclesiæ Matris nostræ, quo omnes cogitationes vestræ semper collineantur.

FINIS.



GRAVIORA QVÆDAM ERRATA SIC CORRIGITO.

Prior numerus paginam posterior lineam significat.

IN epistola, lin. 1. obbedire-obedire. ead. 20. immemorabili consuetudine-40. annorum spatio præscripta consuetudine. pag. 3. 36. accepto, & ponderandum-accepto. Et ponderandum. 4. 4. ea quæ-eaq; 6. 6. Apostolia-Apostolica. 7. 5. Concilium-Consilium ead. 9. concilia-consilia. 8. 28. hæ quæ-hę quas. 10. 19. Apostolorum-Apostolum. 11. 31. quia communi-quia (vt ipse vult) communi. 12. 4. cincudo-cingulo. ead. 25. Apostolorum-Apostolum. 15. 10. Patruum-Patrum. 18. 25. Vel ipso-ipso. ead. 32. iniusta-inhonesta. 24. 25 iniustā-illicitum. 27. 19. benefia-beneficia. 29. 8. dentatiuus-dentatius. ead. 14. hic labamur-huc labantur. ead. 28. Philosophorum, Theologorum-Philosophorum, omnium Theologorum, 31. 31. tertius. 1. vt quartus. 2.-tertius primo, vt quartus secundo. ead. ad 2.-ad secundum ead. 32. ad. 4. - ad quartum. ead. 33. ad 3: vt secundus ad 4. - ad tertium, vt secundus ad quartum. ead. 33. 31. Infra sitandus - infra citandus, ead. 39. respondet - respondent. 34. 20. propreari - procreari. 36. 9. de grad. con. & affin. - de grad. & affin. ead. 22. nepotibus - neptibus: ead. 25. Religio- Relligio. ead. 34. Dion. - Dion 37. 26. Dion. - Dion ead. 36. περίφημα ἡμῶν γενοῦ - περίφημα ἡμῶν γενοῦ ead. 34. quo modo- quò 38. 38. definitio-definito. 39. 5. 1. dist- 1. dist. 40. 5. esse suum-esse suum est, ead. 8. dicentes, quod omnia- dicentes, quod bonum est quod omnia-ead. 33. naturæ-natura 41. 25. a finem- ad finem. 45. 40. educabant-educabatur. 47. 4. alio modo-alio. 48. 12. probitionum - prohibitionum. ead. & afferre - & afferunt. 49. 21. eamq. - eamq; mirum in modum vbiq. ead. 31. naturæ corruptæ - naturæ nostræ corruptæ. 50. 37. q. 5. a. 2. - q. 57. a. 2. 51. 34. assere - asserere. 53. 19. positiui naturalis - positiui, siue naturalis. 54. 12. vbiq. - & vbiq. ead. 39. quod iam mutabile - quod mutabile. 56. 2. vtilitate non - vtilitate fiunt non. 58. 16. audiunt-audimus. ead. 39. quacunq. - quocunq. 59. 30. rursus - cursus. 60. 16. Si aut - Sicut, ead. 28. accipere - accipe. 64. 2. conditionibus - conditionib. ead. 14. arb. eamq. - arb. ad eamq. ead. 26. de lib. c. 6. - de lib. arb. c. 6. ead. 35. circumstantis - circumstantijs. ead. 37. nistur - nititur. 65. 10. seniat - sentiant. ead. 34. Exemplo hęc - Exemplo sit hęc. 68. 30. restauratium - restaurationum. 71. 34. figi - fingi. 73. 23. eorum - earum. 77. 7. si enim non deficit - si enim deficit. ead. 19. separatæ, vnumquodq. - separatæ, & vnumquodq. 80. 8. tamen-tantum. ead. 35. actionibus ad - actionibus attinentibus ad. 81. 29. fornicatione, voto - fornicatione de voto. ead. 33. iudicate - iudicatur. ead. 40. Videndum preterea - Videndus præterea. 82. 1. De voto. 2. 2. - De voto. D. T. 2. 2. 83. 16. conueniat an - conueniatq. an. 84. 8. naralis - naturalis. ead. 12. negociandum - negociationem. 85. 14. 4. vt ad 2. - ad quartum, vt ad secundum. ead. 10. habeant se - habet se. 86. 13. firmantum - firmatum. 87. 40. præceptis - præcepit. 88. 38. ab ac - ab hac. 91. 38. Aequitas item, & iustitia - Aequitas, & iustitia. 92. 6. in improportione- in opposita improportione. ead. 16. Diogene-Diotogene. ea. 26. vetustime-vetustissimæ. 93. 22. consequens - consequentem. ead. 40. fundantur- fundatur. 97. 4. & quod de-quod & de. 94. 16. habere-habeat. ea. 17. deseruire-deseruiat. 98. 5. est naturale-est in naturale. ead. 11. vnici-vinci. 99. 31. demum vsuræ- Demū ex sententia Aristotelis vsuræ. 100. 1. nobilitatem-nobilitas. ead. 13. neutra- reuera. 101. 1. Similium-Simillimum. ead. 17. explicari-explicare. 102. 4. Auocatum-Aduocatum. ead. 12. ingiunguntur-iniunguntur. ead. 13. quemquam-quemq. ead. 20. & ab homine - & homine. ead. 23. quæ-quod. 113. 16. abunde-tam abundè, 104. 1. ide,-ideo. ead. 28. Spiritum - Episcopum. ead. 37. cogitatore - cogitare. 105. 28. nisi mentiti fuerit - & nisi mentiti fuerint. ead. 33. delamare-declamare, ead. 35. detestationem- & detestationem. 106. 10. præceant iaicis- præeant laicis. ead. 24. Concilium- Consilium. ead. 31. eruditorum-eruditorem. ead. 29. curiq.-curisq. 107. 3. Arsantium-Arsatium. ead. 40. deceptum-receptum. 109. 15. canonistis, Theologis-Canonistis, & Theologis. 110. 23. positiuam-positiua. 111. 8. misterij-ministerij. Cæteraq; quę innumera sunt, eruditi Lectoris humanitati committuntur.



FLORENTIAE,

APVD ZANOBIVM PIGNONIVM.

MDCXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

